50021 | B

OBSERVATIONES MEDICINALES DE FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS ET QUA RATIONE EISDEM MEDENDUM SIT.

OPUS

QUOD SCIENTIARUM, ARTIUM ATQUE LITTERARUM ACADEMIA DIVIONENSIS PRAEMIO CORONAVIT,
Die 11. *Augusti* 1782.

AUCTORE

CAROLO STRACK M. D.

ET IN UNIVERSITATE MOGUNTINA PRAXEOS MEDIC. ET COL. CLINICI PROFESSORE P. O. EMINENTISS. AC CELSISS PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO AULICO, ELECTOR. UTILIUM SCIENT. ACAD. ERFORD. REGIAE SOCIET. MED. PARISIENSIS, SOCIET. ACAD. GIESEN. SOCIO.

Editio prima Italica iuxta Offenbachianam

TICINI MDCCLXXXVII.

Sumptibus) Typographiae Monaſterii S. Salvatoris et
) Balthaſſaris Comini Bibliopolae.

Quae profuerunt, ob rectum usum profuerunt. Quae vero nocuerunt, ob id, quod non recte usurpata sunt, nocuerunt.

HIPP. DE ARTE N. 7.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY



EPISTOLA

AD

SCIENTIARUM, ARTIUM, ATQUE LITTERARUM ACADEMIAM, QUAE DIVIONI EST.

Vultis, Viri illuſtriſſimi, ut Medici febrium intermittentium indolem atque genium curatius, quam hucusque aſſuevere, diſtinguant, explicent; atque exponant; ſimul et certa ſigna indicent, per quae tuto noſſe liceat, intra quod morbi ſtadium febrifuga medicamenta recte adhiberi aegriſque tuto offerri poſſint *).

In cuius quidem argumenti perveſtigatione tanto magis omnis induſtria neceſſaria eſt, quanto plus in febrium intermittentium curatione neglecta omnis fere ob-

*) *Determiner avec plus de préciſion qu' on l' a fait jusqu'a présent, les caracteres des fievres intermittentes, et d' indiquer, par des ſignes non equivoques, les circonſtances dans les quelles les febrifuges peuvent etre employes avec avantage et ſans danger pour les malades.*

obſervatio eſt. A quo enim tempore cortex peruvianus tanquam certum atque expertum auxilium invaluit, plurimi medicorum hoc contenti ſine conſideratione et temta rationali medicina omnem impoſterum febrim intermittentem eodem, tamquam Herculis clava, percutere volebant.

Nihilominus, ut recte monetis, aegrorum ſalutis plurimum intereſt, rationem noſſe, propter quam alia febris nullam a cortice peruviano curationem recipiat, alia inducias tantum admittat? quae febris curationi oportuna ſit? quo tempore remedium recte adhiberi queat? quando naturae auxilio opus ſit? quid natura ferat, quo ea opprimatur? quantum medicina polleat, quantum naturae beneficium, et quomodo ab utrisque praeſidium petendum ſit? quod malum febris culpa contigerit, quod materiae vitio? febrium acceſſiones quid duplices efficiat, quid ſimplices eaſdem reddat: atque hoc quid ſignificet? quando movere conveniat? quorſum arte ducere oporteat? quo caſu expectare praeſtet? qualis criſis pro perfecta haberi, qualis pro imperfecta debeat? quae induſtria maturari queat, quae negligentia retardetur? et quomodo eadem nunc ocius nunc ſerius ipſum eundemque morbum ſimiliter finire poſſit? quae criſis febris ſolum, quae materiae tantum ſit? denique quis exitus falſam criſeos larvam oſtendat?

Haec cum multa atque varia itemque momentoſa ſint, rectius facturum me eſſe exiſtimo, ſi in his, ut veteres olim medici cortice orbi, modeſta contemplatione naturam ante ſequar; quam ſine tali attentione ſpecificum remedium diverſo iſti morbo oppono.

In

In qua quidem ſtudii parte an rectius aliquid allaturus ſim, nec ſatis ſcio, nec ſi ſciam, dicere auſim: tamen pro virili parte et me ipſum conſuluiſſe iuvabit, et geſtas res perſcripſiſſe, quas experientia in ipſis febrium intermittentium curationibus ſub noſtro coelo ſaepe docuit me.

Atque hoc eſt, quod, niſi me fallat opinio, quaeritis. Valete.

INDEX

LIBRORUM ET CAPITUM.

LIBER I.

Pag.

CAPUT. 1. Quae febris intermittens, et quotuplex ea ſit. 1
2. Quae ſint febrium intermittentium cauſae. 5
3. De ſignis febris intermittentis, atque de eius ſtadiis. 21
4. An febris intermittens criſi finiatur. 31
5. Quomodo febri intermittenti medendum ſit. 40
6. Ob quam cauſam febris nonnunquam difficulter ſuperetur, et cur eadem ſaepe revertatur. 62
7. De recidivarum febrium ordine. 71
8. Mulier gravida, ſi febre intermittente laboret, quomodo curari debeat. 75
9. Si nutrix febre intermittente tenetur. 78

LIBER II.

CAPUT 1. Acutus dolor capitis, ſi febris intermittens eſt. 81
2. Febris intermittens Cari cauſa. 85
3. Febris intermittens Ophthalmia. 88

Fe-

Pag.
4. Febris intermittens, quae Pleuritidem mentitur. 89
5. Febris intermittens, quae Catarrhum mentitur. 99
6. Tuſſis ſicca, quae febrim proxime antecedit. 102
7. Febris intermittens ut Aſthma: 104
8. Febris intermittens ſub Vomitus figura. 105
9. Febris intermittens ſub dolore colico latens. 107
10. Febris intermittens veluti Cholera. 108
11. Febris intermittens, quae Arthritidem mentitur. 110
12. Febris intermittens ſub paſſionis hyſtericae larva. 112
13. Febris intermittens ſub convulſione latens 118
14. Febris intermittens Phthiſi pulmonali ſimillima. 120
15. Febris intermittens ut continua. 123
16. Febris intermittens anomala. 136
17. Febris intermittens, quae unica acceſſione abſolvitur. 143

LIBER III.

CAPUT 1. Tumor abdominis a febre intermittente 145
2. Icterus ex febre intermittente. 149
3. Maculae a febre intermittente. 153
4. Hydrops a febre intermittente. 155
5. Excretiones cohibitae a febre intermittente. 164

CA-

Pag.

6. Excretiones nimiae a febre intermittente . 168

7. Bonus corporis habitus a cortice peruviano . 171

8. Quonam tempore febrim excutere praeſtet ? 184

OBSERVATIONUM MEDICINALIUM DE FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

LIBER I.

CAPUT I.

Quae febris intermittens, et quotuplex ea ſit.

Vulgaris morbus febris intermittens eſt; haecque, etſi eam periculo vacare et vulgus et multi medici ſibi perſuadeant, nihilominus ipsa nonnunquam exitio eſt: ſive ea per se talis exiſtat, ſive quod alius quidam malus affectus eidem intervenerit, ſive quod aliquam labem, quam ipsa induxit, corpori reliquit.

Intermittens appellatur, quoniam certos inter circuitus requiem relinquit, inde quotidiana, quae quotidie accedit: tertiana, quae unum diem perſtat integrum, tertio redit: ubi vero finita febre biduum integrum eſt, et quarto die revertitur, febris quartana appellatur. Inſultus, quo febris prehendit, παροξυσμὸς, latinis *Acceſſio* nominatur. Spatium, quod febris ab initio acceſſionis ad eius exitum us-

que implet, *περίοδος*, latinis *circuitus* appellatur. Requies vero, quae media inter acceſſiones patet, *ἀπυρεξία*, quaſi aeger tum absque igne eſſet, *intermiſſio* latinis audit. Similitudo autem atque ordo circuituum *Typi* nomine venit, propterea quod circuitui circuitus veluti Typus Typo ſimilis eſt.

Nonnunquam duae tales febres concurrunt; tumque febris duplex appellatur: quotidiana duplex, quae quotidie bis accedit: tertiana duplex, quae quotidie unam ex acceſſionibus habet: quartana duplex, ubi intra biduum duae acceſſiones sequuntur, tertio die intermittunt, neque altera priori, sed tertia primae, et quarta secundae ſimilis eſt. Quare dubito quin recte dixerint, qui quotidianam ex duplici tertiana eſſe ſtatuunt, duasque tantum febres intermittentes haberi volunt, alteram tertianam, alteram quartanam.

Febres quoque interdum longiore circuitu redire HIPPOCRATES ſcripſit, ſic, ut ſint *quintanae, septimanae, nonanae a*) exque his *septimanam longam eſſe, verum non lethalem: nonanam adhuc longiorem et lethalem. Tertianam exactam cito iudicari, et non eſſe lethalem: quintanam peſſimam omnium eſſe. b*) Talem nullam niſi quintanam obscuram vidit GALENUS *c*), septimanam exquiſitam BOERHAAVE *d*), aliquoties WERLHOF *e*) quintanas, semel septimanam, octanas frequentius, sex paroxysmos nonanae ſive novenariae exquiſitos.

AEGROTUS I. Anno 1764. a mense Martio in Iunium usque mulier 50. annorum febre intermittente octana laborabat; quae in principio inordina-

a) *De Morb. popul. Lib. I. Sect. III.*
b) *Ibidem.*
c) *Comment. III. Lib. I. epidem.*
d) *De cogn, et curan. morb. aph. 746.*
e) *Obser. de febrib. Sect. VI. §. 4.*

dinate quidem, modo die ſolis, modo die lunae, modo die martis, acceſſerat, poſtea vero in certum diem Mercurii ſcilicet, certamque horam ſtatuit ſe.

Incepit namque hora quarta matutina vehemens frigus, quod ſomnum protinus pepulit, et aliquot horas continuavit, nonnunquam cum vomitu. Finito frigore ortus magnus calor eſt, qui diem Mercurii proximamque noctem, et aliquam diei Iovis partem implevit; intra iſtum calorem profundus ſomnus, ex quo aegra non facile expergeſieri poterat, prehendit: ſecutus multus ſudor acidus atque foetens eſt, requies poſt, ad alterum uſque Mercurii diem.

Mediis inter acceſſiones diebus aegra faciem luridam, os amarum, atque ciborum faſtidium habuit: perinde ac iuxta febrim ſive tertianam quartanamve. At quo magis in liberaliori intermiſſionis ſpatio verſus proximam acceſſionem pervenit, eo iterum magis cibos deſideravit.

Atque tales quidem ordinatas acceſſiones quinque ante habuit, quam aſſumta corticis peruviani uncia febrim excuſſit.

Alii ita latius patentes tales febres ab una ex ſuperioribus, (ceu tertiana quartanave) ſiquidem media aliqua earum acceſſio defecit, deducere volebant.

Frequens febris quartana eſt, frequentior quotidiana, omnium frequentiſſima tertiana, maximeque autumno poſt fervidam aeſtatis tempeſtatem.

Nonnunquam etiam febres confunduntur, ſic ut neque tempora notari neque ſpatia poſſint, ſed ut coeperunt, continuant: de his paulo magis infra fuſius dicam.

Diſtinguuntur quoque febres pro anni temporibus, obque id vernales, quae Vere; autumnales,

quae Autumno accedunt, appellantur. Has inter faciles vernales sunt, difficiles vero autumnales. *Aeſtivae quartanae plerumque sunt breves; autumnales vero longae, et maxime, quae ad hyemem pertingunt.* f)

Alii quemadmodum HIPPOCRATES g) unicuique hominum aetati, ceu iuvenili ceu senili, privatam suam febris speciem adiudicarunt. *Quemadmodum autem iunioribus triginta annis abſceſſus fiunt, ita quartanae magis his, qui triginta sunt annorum et senioribus.* Ego non ſic, sed contra eſſe omnes febrium species ſimiliter cuivis hominum aetati satis communes.

Denique febres ipsas ita inter se discrepare, ut, cum prehendunt, cuius generis ſint, protinus a prima acceſſione nosci poſſit, veteres medici ſtatuerunt. In cuius res notitia praeprimis celebrem se eſſe GALENUS h) gloriatus eſt, hasque notas indicavit i): nempe ſi mite frigus ſit, et brevis exiguusque sequatur calor, febrim quotidianam fore, tertianam vero, ſi magnus calor exardescat; quartanam autem, ubi cum magno frigore acceſſio incipit, et vehementum longumque calorem trahit. Illud autem perpetuum non eſt: ſiquidem cum vix aliqua febris sola exiſtat, sed saepe cum alio atque alio corporis affectu conveniat, poteſt ea ita mutari, ut in principio certi tale nihil ſignificet; minimeque in morbis inter se differentibus, ſi conveniant, perpetuus eſſe praecepti locus poteſt.

Veriſimile eſt, iſtos quidem medicos ideo talia posuiſſe, quoniam ſibi persuadebant, quaſi febris quotidiana excitata a Pituita, tertiana a Bile, a Melan-

f) *HIPP. Lib. Aph. Sect. II. aph.* 25.
g) *Lib. Praen.* §. 24.
h) *De criſib. Lib. II. Cap.* 4.
i) *Meth. med. ad Glaucon. Lib. I. cap.* 7. *item de criſib. Lib. II. cap.* 5.

lancholia quartana eſſet, obque id a diverſis iſtis humoribus, prout alius atque alius vitiatur, alias atque alias febrium notas deducere voluiſſe; ſic ut alterius humoris vitium sequi magnus calor debeat, alterius parvus: alter leve, alter acre frigus excitare, longave aut brevis eſſe acceſſio debeat.

In his vero certius aliquid ſtatui poſſe exiſtimo, ſi febris ipsa ſimplex eſt, neque aliud quodpiam vitium eidem intervenit, maximeque ex anni tempeſtate, atque ubi popularis aliqua febris eſt, quae ſimiliter ac multos alios ante homines occupavit, deinde aliquem prehendit. *Aeſtate et tertianae plurimae et quartanae k)*. *Autumno autem et febres quartanae et erroneae l)*.

Etſi levis et ſine noxa error eſſet, eum suo vaticinio falli, quem tutum auxilium non deficit: ſiquidem in universum omnibus febribus intermittentibus cortex peruvianus ſimiliter mederi poteſt. Quo auxilio, quoniam febres promptius excutimus, utique talia non videmus, qualia antiquiores olim medici expectando, et ob auxilii defectum demiſſi obſervarunt: neque nobis quemadmodum illis quartana febris scandalo eſt.

CAPUT II.

Quae ſint febrium intermittentium causae?

Inter multas atque diversas, saepe etiam miras febrium intermittentium causas, quas diverſi authores recitarunt, praeprimis diaetae vitia, vigiliae pertinaces, lucubrationes nocturnae, mordaces curae, terror magnus, continuus moeror, et immodica ira

 nume-

k) HIPP. lib. Aph. Sect. III. Aph. 21.
l) Ibidem aph. 22.

numerantur, impura item colluvies, quae in imo ventre convenit; nonnunquam etiam ea, quae poſt longos morbos illuc depoſita eſt, plurimaeque ſimiles aliae, quas hic relegere, et nimis longum, nec satis utile foret: adeo ut nullum fere vitii genus ſit, quod febris intermittens non sequi, aut eidem adiungere se non poſſit.

Vane etiam rationem quaerebant, propter quam alia febris quotidie, alia tertio die, altera quarto prehendat? cur certis ipsae horis accedant? quid coniungat, quid discernat, quid duplices easdem efficiat? ob quam causam, ſi duplices febres ſint, harum quaeque privatum suum circuitum absolvat, nec quicquam in unum commune curriculum confundantur?

Haec etſi incomprehenſibilia hucusque visa fuerint, nihilominus quoniam ea ad curandi rationem multum conferunt: operae pretium facturum me eſſe exiſtimo, ſi iſta paulo scrupuloſius perveſtigavero.

Atque in tali quidem perveſtigatione ante omnia cavere debemus, ne morborum causas in externo quopiam vitio quaeramus, quarum origo intus in corpore reſidet, neve epidemicos morbos tempeſtatum mutationi attribuamus, qui ortum a privato quopiam miasmate habent, neque miasmatis eſſe putemus, quod tempeſtatum causa contigit. Difficilius autem iudicium evenit, ſi idem morbus modo epidemicus, modo item per multos in poſterum annos sporadicus eſt, in universum autem Vere atque Autumno accedere consuescit: adeo, ut per diversa iſta anni tempora idem morbus diversam indolem habeat, et diversam curationem admittat, ad quam modo idoneus, modo ineptus ſit, perinde ut ipsa febris intermittens. Huc accedit mirum illud, in-

com-

comprehenſibile, perveſtigatu asperum, atque a caeteris morbis prorsus alienum; scilicet quod iſta febris certis diebus ſtatutaque eadem hora accedat, iterumque deſinat et, quod maxime in admirationem rapere poteſt, ſi duplex ea eſt, suum quaeque privatum circuitum absolvat, suamque acceſſionis horam servet: adeo ut, ſi par iſti morbo medendi difficultas eſſet, ac eius modum demonſtrare arduum eſt, utique febre intermittente laborantem medicina rationalis neminem hucusque reſtituiſſet.

Ob quas rationes tutius eſſe suſtinent certo auxilio, etſi empirico, uti; quam vana in his rationalis medicinae praecepta sequi, a quibus nullum praeſidium petendum eſt: ideoque abditarum iſtius morbi causarum perquiſitionem inanem atque supervacuam eſſe. — Utique secundis ventis ſiſi cynosura uti nolunt.

Nihilominus spero, fore ut inpoſterum palam faciam, quantum iſta causarum perveſtigatio cum ad cognoscendas, tum ad curandas febres conferat. Qua induſtria, ſtudioque, tanto magis opus eſt, quanto plus medicorum turba per Herculeum corticem veluti invincibilis, febres intermittentes quasque barbare aggreditur; ignara, quod febris ipsa saepe medicinae ſit.

Odi profanas scholarum sententias, conjecturas, atque hypotheses, omnemque in arte medica vim arceo, atque opinionum iugo me eripio; neque niſi cogitandi libertatem ambio, soli veritati obediens. Nihil proponam, quod non factis, nihil obiiciam, quod non experimentis, nihil oſtendam, quod non observatis nitatur.

Quoties plurimas illas atque innumerabiles fere, varias item ac diversas, ſibique ipſis saepe repugnantes febrium intermittentium causas, quas diverſi

 auctores

auctores recitant, contemplemur, mirum utique proſusque incomprehenſibile eſſe videtur, quomodo ex ipſis tria tantum febrium genera (quotidiana nempe, tertiana, atque quartana) oriantur, aut duo tantum fiant, ut aliqui volunt, qui quotidianam non niſi tertianam duplicem eſſe ſuſtinent. Quintanae vero, septimanae atque novenariae, adeo paucae sunt, ut caeterarum febrium numero comprehendi non mereantur. Ob quam fortaſſis difficultatem antiquiores olim medici, qui cum tria tantum febrium genera vidiſſent, utique earum tres tantum causas admiserunt; ſic ut a Pituita quotidiana febris eſſet, tertiana a Bile, a Melancholia quartana febris, quam vetuſtam sententiam recentiores scholarum Profeſſores inconſiderate excuſſerunt.

Quemadmodum autem miasma variolosum unicum atque ſingulare eſt, diversas vero variolas excitat, prout diversa corporum, in quae incidit, vitia sunt: ita unicum tantum atque ſingulare febris intermittentis miasma eſt, quod non re, sed diverſis acceſſionibus diſtinguitur, prout alia atque alia in corpore, quod prehendit, offendit, ſic ut cum uno corporis vitio quotidianam, cum alio tertianam, cum alio item quartanam efficiat. Ad id persuademur, maxime his.

1. Quoniam eadem febris intermittens non raro in uno eodemque aegro corpore acceſſionum circuitum mutat, ſic ut ex quartana quotidiana, tertianave, et vice versa ex harum qualibet quartana fiat. Deinde quoniam unum idemque remedium cortex scilicet peruvianus perinde utrique febri medetur, neque ad id privato suo quovis specifico opus ſit, ſic ut alterum quotitidianam, alterum tertianam, alterum quartanam tantum pellere deberet. Perinde ac nullus neque secundus, neque adversus corporis

habitus

habitus variolas excitat; sed diverſae tales eveniunt, prout alia atque alia contra naturam in corpore sunt, in quod idem variolarum miasma incidit: ita neque Pituita neque Bilis, neque Melancholia neque caeterae omnes in corpore adverſae res febrim intermittentem ipsae per se excitant; sed tantum circuitibus qui erunt, modum ordinemque dant, poſteaquam miasma febrile incidit, ſic ut cum alio corporis vitio idem miasma quotidianam, cum alio tertianam, cum alio item quartanam efficiat. Iſta namque vitia praedisponunt corpus, atque fomes focusque sunt aptus, et idoneus tum ad recipiendum cum ad retinendum miasma febrile. Quodſi porro diverſae illae et saepe ſibi ipſis contrariae causae, quas authores volunt, per se febrim intermittentem excitarent, impoſſibile foret, ut unum idemque ſpecificum remedium ipsas perinde omnes domare atque vincere poſſet. Tale enim diverſum specificum neque eſt, neque eſſe poteſt.

2. Quoniam febrium quarumcunque acceſſiones a frigoris exordio ad ultimum usque sudoris ſtadium in genere ſibi ſimiles sunt; adeo ut ex primae acceſſionis curriculo non ſtatui poſſit, quotidiana an tertiana quartanave febris futura ſit.

3. Quoniam acceſſionum exitus ſibi ſimiles eſſe conſuescunt, sudoris et urinae ratione modoque, eaedemque febres mediis inter acceſſiones diebus aegrum ſimiliter male habent.

4. Quoniam omnes iisdem criſibus perinde iudicantur.

5. Quoniam ſimiliter omnes tales febres uno eodemque remedio ſpecifico, ſi id recte adhibeatur, cortice nempe peruviano, ſimiliter excutiuntur.

6. Quoniam ipsa febris materia alteram corporis partem dimittit, alteram prehendit: veluti quae ex

latere,

latere, cui insedit, exiit, inque oris labia tranſiit, ex iisdemque ulcerando erupit.

7. Quoniam a febriente matre recens nata proles febrim in utero accepit, aut lactans a febriente nutrice eandem attraxit.

8. Quoniam in universum omnes febres intermittentes, ſi inveteraverunt, eadem mala corpori perinde relinquunt. Icterum puta, ſplenis tumorem, atque hydropem.

9. Quoniam ſpecificum remedium cortex, etſi eum plurimum dederis, tamen alias febres nequicquam movet, alias ad tempus tantum ſupprimit, quae proxime ſtatuto die revertuntur: quod utique ſic non contingeret, ſi fomes ipse causa febris eſſet. Quod ſi vero iſtum in corpore fomitem eximimus, febris curationem admittit. Cortex enim non fomitis sed miasmatis remedium eſt. Id exemplis patet. En, ſi febre continua remittente laboranti corticem peruvianum protinus offers, eum non iuvabis, neque febrim movebis. Quod ſi vero medicamentum vomitorium exhibeas, quod febris fomitem, corruptam scilicet bilem excutit, protinus febrim ipsam ex continua in intermittentem ordinabis, eandemque aptam reddes, quae curationem a cortice admittat. Quod ſi corrupta in imo ventre foex febris causa eſſet, eam cortex tanquam certum specificum submoveret: submovet autem talem nequicquam. Si corrupta bilis febris causa eſſet, deberet utique febris expulsa tali bile finem accipere, quae nihilominus saepe remanet, et in poſterum curationem a cortice deſiderat. Debet igitur aliud quidpiam eſſe, quod praeter iſtas corruptiones febrim excitat.

10. Similiter ſi mucosa in imo ventre colluvies reſidet, et febris intermittens prehendit, cortex peruvianus febrim non movebit, quam moveret,

ſet, ſi verum eſſet, quod mucosa talis colluvies ipsa febris cauſa ſit; ſiquidem cortex febris intermittentis ſpecificum eſt. Quod ſi vero iſtam colluviem pharmaco ante vacuo, febris quam proxime curationem a cortice recipit, quam ante non recepiſſet. Illud per experimenta paulo magis infra patebit.

11. Si ad exitum febris continentis aut putridae cruſta sanguinis cocta eſt, coctaque vel in ventriculum vel in inteſtina critice translata eſt, solet febris intermittens oriri, quam cortex peruvianus, qui intra continentem aſſumtus erat, cavere non potuit. Propterea quod depoſita huc nunc iſta materia novae intermittentis febris fomes evenit. Quodſi deinde eandem colluviem protinus adhibito purgante pharmaco subtrahimus, ipsa febris vel ex toto deſiſtit vel curationem in poſterum a cortice peruviano facile admittit.

Debet igitur impura colluvies, quoniam ea curationem a cortice non recepit, diſtincta eſſe a febris intermittentis miasmate, quod solum ab eodem auxilio curationem admittit.

12. Multae febres intermittentes protinus ut earum materia per oris labia per ambuſtiones ad manus atque pedes, per parotides atque bubones sub alis ſuppurando erumpit, finem sumunt; quem non ſumerent, ſi verum eſſet, quod ea vitia, quae auctores numerant, febris causa ſint.

13. Eſt, ubi febris intermittens (quemadmodum altero iſtius pertractationis libro exempla ponam) unam tantum corporis partem, caput scilicet, oculos, latus &c. ſtatuto tempore prehendit, vexat, excruciat, iterumque per intervallum dimittit, saepe absque frigore et ſine aeſtu.

14. Fuit febris intermittens eodem tempore ſimiliter popularis, quo variolae, morbilli, febris scarlatina, atque Dysenteria graſſabantur: neque ſi

inter-

intermittens alicui horum morborum maxime, qui absque calore erant, iuncta erat, eius circuitus per eosdem vel nec quicquam mutabatur, vel ex toto deſiit.

15. Poſtremo, quodſi narrata ab auctoribus vitia febris intermittentis causa eſſent, deberet ipsa febris, quoniam eius causa ſic permanens eſſet, ſimiliter ob effectum permanentem continens, non vero intermittens eſſe, quae res contraria experientiae eſt.

Od quas rationes ad credendum persuademur, eſſe privatum suum febri intermittenti miasma, neque diversa alia quaepiam corporis vitia quidquam aliud ad febris intermittentis generationem afferre. quam ut fomes atque focus ſint aptus atque opportunus, tam ad recipiendum, quam ad retinendum fovendumque iſtud miasma. Denique quod idem miasma ſimplex atque uniforme ſit, diversos autem circuitus typosque admittat, prout diversos in diſpoſito corpore, in quod incidit, fomites focosque offendit: ſic ut cum alterius corporis foco quotidianam, cum alterius tertianam et cum alterius quartanam efficiat. Perinde ac Variolarum miasma, quod item ſimplex eſt, pro alia corporis diſpoſitione discretas, pro alia cohaerentes, pro alia confluentes papulas expellit.

His conſideratis, quoniam interna iſta corporis vitia nullam a cortice peruviano, tanquam certo febris intermittentis specifico remedio, medelam admittunt, palam eſt, eadem sola febris intermittentis causam non eſſe, neque ipsum miasma per se solum febris causam eſſe, ſiquidem ne id quidem cortex peruvianus movet; quamdiu priora corporis vitia eadem persiſtunt.

Ob quae ad credendum persuademur, febrim inter-

intermittentem tum fieri, quando miasma febris intermittentis in corpus incidit, quod per sua intus propria vitia diſpoſitum eſt, ad recipiendum fovendumque miasma ſebrile: ipsamque febrim intermittentem compoſitum morbum eſſe, ex vitio chronico frigidove, et ex acuto miasmate: id eſt febrim intermittentem a duabus cauſis oriri, ab una nempe, quae corpus disponit, ab altera quae accedit et excitat. Ob quam rationem, etſi febris intermittens popularis ſit, tamen ipsa multos homines non afficit, propterea quod eorum corpora diſpoſita ad recipiendum miasma febrile non sunt: quemadmodum variolae, ſi graſſantur, non omnes infantes prehendunt, sed contra ex his aliquos, etiam qui cum infectis degunt, intactos relinquunt, utique qui nunc ad admittendum variolarum miasma apti non sunt.

Quod ſi vero ſive disponentia corporis vitia demimus, ſive miasma tollimus, febrim ipsam pellimus. Id contingit, ſi impuram colluviem, quae miasma recepit, protinus vel vomitorio vel purgante pharmaco excutimus. Et quoniam in iſtis interioribus corporis partibus fomes saepe reſidet, mirum nequaquam eſt, quod febris intermittens vomendo aut purgando saepe discutiatur, nempe ſi ſic eius fomes focusque eripitur. Idem contingit, ſi alius quidam morbus febri supervenit, qui poteſt eius causam chronicam ſive disponentem tollere.

AEGROTUS II. Pauper puer febre quartana autumnali modo ſimplici modo duplici diu laborabat. Eum Dysenteria, quae tum temporis popularis erat, prehendit. Per Dysenteriam febris imminuta eſt, deinde ex toto deſiit, neque aeger paſſus recidivam eſt. Ruſtici filius 22. annorum febre quartana autumnali duplici laborabat. Eum Dysenteria popularis febre liberavit, neque is paſſus recidivam eſt. Hos

neque

neque vomitorium neque purgans ante iuvit, iuvit autem Dyſenteria, quae interiorem focum diſſolvit. Sic quartana ex duplici ſimplex facta eſt, deinde ſimplex ipsa, ut Dyſenteria increvit, deſiit.

Ita febris chronicum sui miasmatis receptaculum coquit, solvit, tollitque, et tunc ipsa per se deſiſtit, veluti tertiana vernalis poſt quinque, poſt septem acceſſiones finem accipit; duplici nempe criſi ex qua altera febris ſive miasmatis, altera materiae chronicae ſive disponentis eſt.

Nonnunquam cortex peruvianus insuper alia quapiam virtute, quaedam interna corporis vitia, ceu putridam in imo ventre colluviem corrigit, excutitque, deindeque specificâ ſua virtute ſimul miasma vincit, tollitque: et tunc febris excutitur, quae res suos fautores fefellit. Cortex enim peruvianus non diverſorum febris fomitum, sed ipſius miasmatis specificum remedium eſt.

Quod ſi autem cortex peruvianus ſine multa fomitis emendatione, miasma ipsum vincat febrimque supprimat, ea paulo poſt ſimiliter resurget. Inde recidivarum ratio cognosci poteſt.

Quare in febrium intermittentium curatione maxime ad tria haec capita attendendum eſt. 1. Ad opportunum tempus, intra quod miasma curationem a cortice peruviano admittit. 2. Ad internum chronicum vitium, an id tolli et qua ratione queat? 3. Ad febris, quae ex utrisque his oritur, effectus, hique an salubres an adverſi ſint? adverſi quomodo ſive caveri ſive tolli poſſint? salubres qua arte perfici? ſine qua notitia atque attentione multi profecto errores comittuntur, maximeque ab his, qui absque tali perveſtigatione omnem perinde febrim intermittentem cortice peruviano aggrediuntur. Febris enim ipsa saepe medicinae eſt; et ut vetuſtiſſimus olim

auctor

auctor HIPPOCRATES dixit, a magnis morbis liberat; tollit enim ipsa saepe morbos, quos medicina ne movet quidem. Et magno saepe humani corporis commodo oritur, dum nos ad quaerendum auxilium monet, aut chronica vitia ſive indicat ſive tollit, quae ipsa aut non cognoviſſemus, aut cognita non potuiſſemus submovere. Quare hanc ipsam febrim, ut caeteras fere omnes arte neque exacerbare licet, ne exuperet, neque supprimere ne torpeat. Utrumque enim noxium foret. — Qui febre uti nescit, mederi ignorat.

Iſta autem vitia, quae corpus disponunt ad recipiendum miasma febrile, sunt vel in una tantum corporis parte (veluti altero iſtius pertractationis libro dicam) vel totis humoribus insunt, vel in infimi ventris visceribus recumbunt: quae inter praecipua sunt Pituita, Bilis et Melancholia. Quos quidem cardinales antiquorum medicorum humores puto, quod praecipites novarum scholarum aſſeclae sine conſideratione eliminaverint.

Nihilominus fuere febres, et quotidianae et tertianae cum ſimplices tum duplices, quo tempore mucus ſive coctus ſive crudus contra naturam vel in ventriculo vel in inteſtinis reſidebat; isve per se ibidem locorum ortus fuerit, an poſt coctionem intra febres continentes quascunque illuc translatus fuerit, perinde eſt, quem mucum ſi protinus adhibito aut purgante aut vomitorio medicamento excutimus, aut eundem poſt sui coctionem vacuamus, febrim ipsam modo totam expungimus, modo eandem curationi opportunam reddimus; ſi per moram eundem ibidem relinquimus, aliqua eius portio in sanguinem revertitur, ſicque febris pertinax fit.

Haec ita nota atque vulgaria sunt, ut supervacaneum foret, aliqua huiuscemodi exempla huc adferre.

De

De Bile medicorum practicorum nemo dubitat, poſſe ab eadem, ſi corrupta ea ſit, et miasmati unitur, febrim tertianam oriri. Id febres autumnales poſt fervidam aeſtatis tempeſtatem, febres biliosae, febres continuae remittentes, quae poſt bilis vomitum tertianae fiunt, satis superque demonſtrant. Neque tamen Pituita aut bilis, ſi vel in ventriculo, vel in inteſtinis recumbunt, febris fomes sunt, sed et ubi eaedem in ipſis interioribus suis visceribus reſident, ex quibus continuo proveniunt. Insuper inter vitiatos tales humores peiores crudi, meliores cocti sunt: scilicet quoniam cocti miasma libentius dimittunt, et, ſi recte evacuantur, febris deſiſtit, crudi vero miasma retinent, et coctionem ante requirunt, quam miasmate liberari poſſint.

De Melancholia autem dubitatio eſt, haec ſi cum miasmate conveniat, an quartanam excitet. Etſi autem non dubitem, quin etiam ob alia quaedam humorum vitia quartana febris eſſe poſſit, nihilominus unicum exemplum de atra bile afferam, satis profecto demonſtrans.

AEGROTUS III. Mulier 40. annorum hypochondriaca, deinde melancholica, poſt maniaca evenit. Intra maniam omnia medicamenta respuit duobus annis, Hanc febris quartana impoſterum prehendit, intraque eandem soluta atra bilis eſt; orta tormina sunt, alvique sedes liquidae, nigrae, ut pix liquefacta, cum dolore atque tenesmo. Cumque talia excrementa quotidie multa exiiſſent, mulier reſipuit. Poſteaquam liquida iſta materia aliquamdiu defluxit, duplicata febris eſt, quae ſimiliter diu traxit, et intra quam item multa nigra excuſſa sunt. Poſtremo sedes colorari coeperunt, et febris ex duplici rursum ſimplex devenit. Denique poſt aſſumtum decoctum tamarindorum, ex sero lactis adiecto sale et manna,

cum

cum alvus atra bile, ſiquid ex ea ſupereſſet, vacuata fuiſſet, febris ipsa ex toto deſiit, mulierque reſipuit. *An quartanae magnis his, qui triginta ſunt annorum et ſenioribus m)*: quoniam non prius quam intra iſtam aetatem homines melancholia tentari incipiunt.

A febri ſimplici ad duplicem venio, et iſta duplicatio quid ſignificet? malumne an bonum omen ea ſit? De qua quidem re maxime ſic puto. Simplicem eſſe febrim, propterea quod eius fomes crudus eſt: duplicari vero eandem, ubi eiusdem fomitis aliqua pars per febrim mota ſolutaque quidem eſt, attamen corpori adhuc inhaeret. Id his potiſſimum patet: quoniam nulla febris initio duplex eſt, sed deinde talis evenit, poſteaquam ſimplex per tempus efferbuit. Quoniam ſi talis febris ſive naturae beneficio, ſive corticis peruviani auxilio deſiſtit, prior duplicans febris deſinit, poſterior ſimplex quae prima fuerat, et quoniam duplicans minor mitiorque eſt, et ipſa facilius medelam admittit. Male igitur medici nonnulli talem febrium duplicationem metuunt, quoniam pars coctionis eſt, exque ea febris curationi opportunior fit.

Eſſe vero unum eundemqne iſtius duplicis febris fomitem, ex his colligere licet, quoniam utraque ſemper unius eiusdemque ordinis eſt, ſic, ut quartana quartanam, tertiana tertianam, quotidiana quotidianam duplicet; neutra vero harum alterutram, ceu tertiana quartanam quotidianamve, vel quartana tertianam quotidianamve.

Et nunc iterum quaeritur, quid hominum corpora ſic vitiet, ut in iis fomes fiat aptus cum ad recipiendum, tum ad retinendum miasma febrile? Hoc in his cauſis poſitum eſt, quae initio iſtius ca-

m) *HIPP. Lib. Praenot.* §. 24.

pitis relatae ſunt. Quas inter praecipuae duo anni tempora sunt; Ver ſcilicet atque Autumnus; ideoque febres vernalium atque autumnalium nomen ſortitae ſunt, deinde diverſus atque saepe mutatus tempeſtatum habitus, propter quem febres eſſe epidemicae conſueſcunt: poſtremo putrida ex humili atque paludoso ſolo effluvia. Ob quam rationem in agro moguntino, iuxta Rhenum fluvium, inque aliis circum urbibus quae poſitae in humili solo ſunt, iſtae febres magis, quam in elatiore ſede atque montibus familiares ſunt. Quemadmodum aeſtate anni 1749., qua tempeſtate febris intermittens praeprimis tertiana popularis erat, multa hominum millia in humili civitatis parte, quae propior Rheno eſt, prehendit; contra vero eos, qui in colle qua via meridiem versus itur, habitabant, tutos reliquit. Utique quoniam ſalubrior ibi locorum aër habetur. Rumor enim eſt, iſtam urbis partem utique ob aëris salubritatem olim peſtis expertem manſiſſe, ideoque *regionis aureae* (*die goldene Luft*) nomen accepiſſe. Ita in oppido Oppenheim, quod quatuor ſtadiis Moguntia abeſt, atque poſitum iuxta Rhenum fluvium multosque paludes eſt, plurimi cives febre intermittente laborare conſuescunt, et ea difficulter etiam cum cortice peruviano liberantur; ſimiliter aliorsum, ubi ſimile ingenium loci eſt. Contra in montibus pauci febre intermittente tentantur; et ſiqui febre affecti illuc deferuntur, hi citius aut aëris salubritate aut medicinae opera liberantur: non quod elatior montium regio vel expers miasmatis ſit, vel id, quod ibidem eſt, emendet aut extinguat, ſed quia antiqua vitia, quae miasmatis fomes sunt, corrigit, emendat, corpusque integritati reſtituit; ſicque fomite orbat, ſine quo iners miasma eſt. Utique *neque solum in bono tempeſtatum habitu certior valetudo eſt, sed peiores mor-*

bi

hi quoque, ſiqui inciderunt, leviores sunt et promptius finiuntur n).

Similiter medicamenta, quae fomitem tollunt, corpus tutum praeſtant, & febris miasma receptaculo orbant, et ſic idem iners efficiunt. Ita protinus adhibitum medicamentum vomitorium febrim extinguit, ſi eius fomes corrupta billis eſt, quae in ventriculo reſidet. Ita purgans pharmacum ſi impuram colluviem, quae in inteſtinis reſidet, vel poſt febrium continentium coctionem ibidem critice depoſita fuit, subtrahit, febrem delet. Ita diversa quaevis auxilia, quae fomitem quemquam tollere poſſunt, ipſi febri medentur. Inde tot tamque diversa remedia, quoniam ea aliquoties succeſſerunt, tanquam febrifuga ab antiquiſſimis hucusque temporibus commendata ſunt; adeo ut in botanologorum libris vix aliqua herba ſit, cui febrim intermittentem pellendi virtutem non adiudicaverint. Verum iſta, niſi ea fomitem vel omnem excutiant, vel ante coquant, vana ſunt. Iſtorum autem omnium remediorum potiſſimum febris ipſa eſt. Iſta enim suum fomitem et coquit et movet et exitui aptum reddit: ſine qua praeparatione vix ulla febris apta curationi eſſe poteſt. Et quoniam cortex peruvianus talia corporis vitia, ſi non ſemper, tamen ſaepiſſime altera virtute corrigit, altera miasma enervat, utique iure pro ſpecifico febris intermittentis remedio habetur: qui ſucceſſus ſuos fautores ſaepe ſefellit.

Eſſe autem non ſolidarum partium ſed humorum tantum vitia apta ad fomitem febris praeſtandum, ex his patet, quoniam ſubtractis coctis humoribus febris deſiſtit; quoniam recens nati infantes, qui nullam in ſolidis partibus noxam habent, nihilo

n) A C. Celsus Lib. II. Cap. 1.

minus febrim intermittentem ab affecta ſive matre sive nutrice accipiunt: quoniam humorum vitia febre ipſa emendari, solidorum vero peiora per eandem fieri conſuescunt.

Poſtremo in quaeſtionem venit, quomodo febris excitetur? Illud inter authores disputatur. Quos inter alii febrim eſſe volunt, ubi vitiata aliqua matertia ſanguinem coagulat, ſicque vaſa obſtruit: alii cum imperfecti et corrupti humores nervos vexant. GALENUS tertianam a Bile flava, a Pituita quotidianam, quartanam ab atra Bile ſtatuit, exque iſtis humoribus, prout hi aliud atque aliud viscus occupant, aliam atque aliam febrium ſpeciem eſſe; confundi vero diverſas febres, ubi diverſi tales humores coiverunt.

Ego vero maxime ſic puto, febrim intermittentem tunc eſſe, quando miasma febrile tanquam cauſa excitans cum vitiato in corpore fomite, tanquam causa diſponente, convenit, eidemque coniunxit se.

Ambo iuncta per univerſi corporis vaſa agitantur, miasma crudum vasa vehementer irritat, atque nimio ſuo ſtimulo convellit, atque ad nimiam contractionem cogit: ita arteriarum pulsus parvus, convulſivus, varius &c. evenit. Hoc frigoris ſtadium eſt. Contrito interea temporis aliquantum miasmate mitior ſtimulus evenit, ſicque fortior et liberalior vasorum actio fit, inde febrilis calor oritur: poſtremo quando miasma ita per febrim cricumagitatum lene inersque factum eſt, sudor erumpit, qui contritum miasma et veluti confrictum eliminat. Hucusque febris ſuum miasma mutavit, et fomitem aggreſſa quidem eſt, at non ſolvit eundem.

Finita acceſſione, quemadmodum poſt unamquamque febrim continentem corpus fractum laſſumque

que et pulsus infirmus eſt, debiles viſcerum functiones ſunt, laesum edendi deſiderium eſt, mensque torpet.

Liberum iſtud poſt acceſſionem intervallum modo breve inter quotidianam, modo longius inter tertianam, longiſſimum inter quartanam eſt: donec iterum miasma a fomite ſuſcipiatur, eidemque unitum novam rurſum acceſſionem excitet priori ſimilem. Similem dico priori non alterius cujuspiam ordinis acceſſionem, quoniam ipſi fomiti, ſive cauſae praedisponenti ea ineſt proprietas, ut ea non alium a miasmate febris rythmum typumque admittat. Illud ex his colligere licet; quoniam infantes recens nati, ſi eorum mater intra graviditatem febre intermittente laborabat, ipſi cum naſcuntur, eadem febre laborare conſueſcunt; ſimiliterque alumni, ſi nutrix febre intermittente affecta eſt, quoniam febrium recidivae etiam quae poſt annum, imo multo ſerius revertuntur, nihilominus eundem typum etiam ad horam ſervant, quemadmodum capite de recidivis dicturus ſum. Denique quod eundem corporis ſtatum ſemper eadem febris ſequatur: veluti id juxta anni tempora, ut HIPPOCRATES notavit, obſervare licet.

CAPUT III.

De ſignis febris intermittentis, atque de ejus ſtadiis.

Etſi febres intermittentes multas atque diverſas notas habeant, nihilominus harum nulla (quod mirum videri poteſt) adeo perpetua eſt, quaſi per eam ſolam febris certo ſive cognoſci, ſive diſtingui ab aliis morbis poſſit. Aliae enim protinus a calore incipiunt, aliae a frigore, aliae ab horrore; aliqua

cum ridicula garrulitate acceſſit, et cum loquaci deſipientia ad exitum usque continuavit; aliae ſic deſinunt, ut ex toto ſequatur integritas; aliae ut aliquantum quidem minuantur ex febre, nihilominus tamen quaedam reliquiae remaneant, donec altera acceſſio ſequatur : ac ſaepe aliae vix quicquam aut nihil remittunt, ſed ita, ut coepere, continuant. Deinde aliae fervorem ingentem habent, aliae tolerabilem: aliae tempore eodem revertuntur, aliae vel ſerius, vel ocius: aliae longum tempus acceſſione et deceſſione implent, aliae breve: aliae cum decedunt ſudorem movent, aliae non movent, atque aliàs per ſudorem ad integritatem venitur, aliàs corpus tantum imbecillius redditur. Interdum vero acceſſiones confunduntur, ſic ut notari neque tempora earum neque ſpatia poſſint. Rurſus aliae ſine calore ſunt; aliae totis corporibus inhaerent; aliae tantum in partibus ſunt: aliae alterius cujuspiam morbi figuram oſtendunt, quaſi febres intermittentes non eſſent. Ob quas diverſitates quoniam aliquae febres difficulter cognoſcuntur, difficulter etiam curantur. Siquidem *cujus rei non eſt certa notitia, ejus opinio certum reperire remedium non poteſt o*). Multum igitur intereſt noſſe, morbus, qui eſt, quod febris intermittens ſit: maximeque in dubio invaſionis initio.

Illud aut per majora atque communia ſigna ſcire licet, aut ex parvis atque privatis notis diſcimus. De illis nunc dicam, de his paulo magis infra.

Et quidem febris intermittens vel lente accedit, vel protinus erumpit.

Quos febris lente invadit, hi incipiunt corpore et animo torpere, levi et fugaci capitis dolore affici, bibitare, cibos non multum appetere, neque tamen faſti-

o) *A C Celſus de med. Lib. I. praef.*

faſtidire eosdem: altero die aut paucis poſt diebus mente et corpore magis languere; dolere ſaepius capite, ſitire plus, ſaepe fauces ſiccas habere, velle potum frigidum, acidulum, minus appetere carnium iura, ipſas vero carnes non eſſe, frigida et fructus horaeos deſiderare; minus firmiter cruribus inniti, dolere e coxendice, cito ad motum laſſari, ſudare iuxta frontem, cum ambulant aut calidum bibunt, non vero ſic ubi quieſcunt, urinam mingere magis flavam, amoenum vultus colorem decoremque amittere; fauces mane ſiccas habere, et dentes limoſos, et halitum oris qualis ieiunis hominibus eſt: in dies magis aegreſcere, et non multis ita poſt diebus plus calere; ſitire amplius; fauces magis ſiccas et os amarum accipere, dentes glutinoſos, halitum gravius olentem, potum et cibos velle frigidos acidosque, faſtidire iura carnium, carnes ipſas reſpuere, magis incaleſcere, urinam profundius flavam, ſpumoſam et quae urethram urit, emittere, e cruribus et coxis dolere, immadeſcere ſaepe ſudore, ubi calidam bibunt, aut cum hominum turba eſt; frigeſcere facile, vultu pallere, flaveſcere palpebris.

Hi ſaepe ieiunio morbum frangunt, ſaepe poſt unum medicamentum vomitorium eveniunt, nonnunquam alvum purgans pharmacum tales adiuvat. Utique quoniam febris fomitem vel ieiunio conſumunt, vel evacuante pharmaco eiiciunt.

Sine his, aut ſi iſta non profecerunt, aegri in dies magis aegrotant; calent et ſitiunt acrius; lingua ſaepe faucibus adhaeret; ipſae fauces magis arent; dentes ſunt viſcoſi, anima veluti a longo ieiunio foetet, iſtique aegri frigidam liberaliter hauriunt; ipſumque vinum rhenanum album, quod ſani bibere conſuêrunt, nunc reſpuunt, quoniam vappidum idem ipſis videtur, propria ſua lingua decepti, carnes

nauſeant, panem ſecalinum, quaſi nimis acidum; triticeum vero amarum putant, ſua lingua falſi, calida recuſant potulenta, poſt quae, ſi aſſumſerunt, largus ſudor erumpit: levi de cauſa modo algent, modo ſudore immadeſcunt; dolent acrius capite, circaque tempora ad intentas arterias punguntur; laborioſe dormiunt et tumultuoſa ſomnia habent, oculi cavi, ſicci, atque calidi ſunt, iidemque in vivida luce ita laeduntur, ut lacrymas emittant, color vultus flavus et foedus eſt, totumque corpus laſſum quaſi ex fatigatione eſt: arteriarum pulſus vel magnus et fortis, vel frequens et celer eſt; urina rubra evenit, atque urethram, cum tranſit, urit, etiam ſpumam ſuam diu ſuſtinet, totaque craſſum, ubi infrigeſcit, ſedimentum praecipitat.

Atque iſti quidem aegri non diu ſic habent, quin febris, quae obſcura hucusque fuerat, omnino explicetur.

Quorum vero febris potinus erumpit, hi incipiunt corpore gravari, oſcitare, membris diſtendi, frigeſcere, palleſcere, vultu flaveſcere, cruribus et coxis laſſari, e corporis extremis partibus inalgere, nasi apice et extremis digitis livere, vago frigore per dorſum perfundi, poſt fugaci ſaepe horrore concuti, dolere capite, dein tremere, paulo poſt vehementer horrere, dentes dentibus ſaepe ferire, membris quati, ſitire, demum rigere, intereaque urinam tenuem aquoſam emittere, aërem tremula inſpiratione lente attrahere, eundemque frigidum cito efflare.

Primum hoc eſt febris intermittentis ſtadium, idque modo longius, modo brevius eſt. Alii enim duas horas frigore implent, alii dimidiam horae partem, alii fugax breveque frigus habent, alii tres horas ante languent, et frigeſcunt, quam ex toto infrigeant: alii item protinus a calore incipiunt. Neque

verum eſt, quod quidam volunt, nullam febrim intermittentem ſine frigore eſſe, ſaepeque falluntur, qui ex frigore noſſe volunt, febris cuius generis futura ſit; in his enim nihil perpetuum eſt.

Intra iſtud frigoris ſtadium aegri diverſim habent. Alii ex horrore in altum agitantur veluti convulſi: ex delicatulis mulieribus aliquae convulſae et ut aſthmate ſtrangulatae fuerunt quaſi hyſtericae, intra calorem vero necquicquam. Alii tuſſim ſiccam habent, alii ex hypochondrio ſiniſtro dolent, cum ubi frigus incepit, tum ubi idem ad ſummum pervenit. Vir dextrae manus digitos aurigine tinctos accepit, quotieſcunque propter febrim friguit. Arthritici dolorum plus hoc frigore quam calore perſentiſcunt. Quorum oſſa olim ſive fracta ſive loco pulſa fuere, hi ex iisdem ut plurimum dolent, dum febre inalgeſcunt, fere etiam perpetuum eſt, eum, qui febre intermittente olim laboraverat, impoſterum, cum febris iterum prehendit, ſimili ratione modoque habiturum eſſe, maximeque intra horrorem. Quod ideo noſſe intereſt, quoniam impoſterum febris, ſiquidem talis perobſcura foret, promptius per eadem ſigna cognoſci poterit.

Exiſtimo, iſtud frigus eſſe, quoniam miasma febrile a fomite receptum, eidemque unitum cor ſimul atque arterias, venas item atque omnia univerſi corporis vaſa ductusque excretorios vehementer (ut cruda quaeque poſſunt) ſtimulat; adeo ut exinde iſta vaſa veluti per convulſionem contracta anguſtentur atque rigeſcant; neque ſanguinem caeteroſque humores ſive facile recipere, ſive liberaliter propellere excernereque poſſint. Ob quam cauſam humorum circuitus impeditur, et vaſorum libertas deficit, minor in vaſis attritus eſt, calor extinguitur, friguſque eſt: pulſus parvus et frequens quandoque inaequalis

lis ob vaſorum cordisque convulſionem eſt; retinentur ea, quae ſecerni debuiſſent; ideoque cutis alba, ſubflava fit.

Idem in extrema corporis ſuperficie conſpicimus: frigore ſumma cutis contrahitur rigetque, pulli deplumati inſtar; pallet facies, liveſcunt extremi digiti, minus tranſpiratione, nihilque ſudore expellitur. Ipſaque urina tenuis, aquoſa, et coloris fere expers emittitur: utique quoniam emulgentes arteriae exque his emiſſarii urinae ductus in renibus nimium conſtricti, atque ſolito magis anguſtati nunc evenerunt, ſic ut nihil niſi tenuiſſimum humorum transmittant.

Eſt hoc ſtadium cruditatis, quod brevius quidem at vehementius intra intermittentem eſſe conſueſcit, quam in principio continentium, ubi idem longum ſed mitius eſt. Ipſum autem per ſe varium eſt, prout vaſorum per quae miasma agitatur, diverſa conſtitutio, ſive pollens ſive infirma eſt: ob quam fortaſſis vaſorum impotentiam, quoniam ea magis inertia in decrepita ſenectute ſunt, contingit, ut ſenes, qui febre intermittente extinguuntur, intra frigoris ſtadium moriantur, nemo intra aeſtum. Qui quidem caſus nihilominus perrarus eſt; ſcilicet quem intra 34 annos nonniſi ſemel obtinuiſſe vidi.

AEGROTUS IV. Anno 1772 ſenecio febre tertiana exquiſita autumnali loborabat, mediis diebus bene habens exiit, atque foris obambulavit. Ante tertiam acceſſionem hora decima matutina domum redux valuit. Acceſſit febris hora undecima, intraque eiusdem frigus aeger paulo poſt horam duodecimam extremum ducens ſpiritum obiit.

Interea dum cruda miasmatis materia per vaſa etſi cum labore atque imperfecte agitatur, ea pedetentim conteritur, ſicque mitior redditur, fractoque ita aliquantisper ſtimulo vaſa liberalius tanquam nunc

minus

minus convulſa reagunt, humoresque omnes pellunt: inde maior attritus fit, qui frigus pellit; oriturque calor, qui initio quidem exiguus eſt, et in externo tantum corpore ſentitur, interea cum internum adhuc friget. Paulo poſt attrita magis cruda materia univerſum corpus incaleſcit, intraque iſtum calorem fugaces aliquae horripilationes vagantur: mox totum exardeſcit, inque iſto ardore aegri nonnunquam perfrigeſcunt, maximeque ubi veſtimenta levant: ſimul plus ſitiunt, atque magis capite dolent, vomituriunt, imo ſaepe vel bilem vel phlegma evomunt; maximeque ſi frigidam ante liberaliter biberunt. Aeſtuant deinde atque capite vehementer dolent, ipſaeque arteriae iuxta tempora intenſius pulſant. Exque iſtis aegris aliqui etiam demiſſas caeterorum hominum confabulationes procul ultra, quam ſani potuiſſent, nunc diſtinctius audiunt, indeque eorum aures offenduntur: ita enim acutus ſenſibilisque horum auditus evenit.

Poſt haec reſtituta vaſorum libertate ſanguis vehementer movetur, reſpiratio denſa eſt, halitusque ardens exit, anguntur praecordia, rubet facies et fauces aeſtuant. Denique ubi calor ad ſummum pervenit, univerſa corporis cutis aret, oculi cum dolore vertuntur, atque lucis ſplendorem aegre ferunt. Ante eosdemque veluti ſcintillae ſaepe obvolitant; dormituriunt aegri, et ubi oculos claudunt, a recta ratione aberrant; protinusque iterum expergeſiunt, et corpus iactant. Nonnulli ex his delirare continuant: urina rubra eſt, et cum labore emittitur, ſpumamque diu ſuſtinet: plurimum ſitiunt aegri; potum volunt frigidum, acidum; calidum vero reſpuunt; neque posſunt, etiamſi liberaliter bibant, ſitim extinguere.

Hoc alterum febris intermittentis ſtadium eſt, idque modo facile, modo difficile, modo longum, mo-

do

do breve eſt. Alii enim intra idem calent, alii aeſtuant, alii omnino exardeſcunt, atque aliorum calor octo, aliorum decem, aliorum octodecim horas implet; aliorum item febris in remiſſione non deſiſtit, neque per primum talem calorem certe noſci poteſt, febris cuius ordinis futura ſit. Per iſtud ſtadium miasma conteritur, coquiturque, et materia diſponens ſive fomes movetur, atque coctioni opportunus fit, donec poſtremo ipſe totus ſic per plures acceſſiones coquatur, perinde ac in continentibus febribus per longos continuo dies adverſa materia coquitur.

Aliquot ante iſtius ſtadii exitum horis tertium incipit, quod perturbationis criticae nomen meretur: intra hoc aegri motibus atque iactationibus agitantur, et hi potiſſimum delirant, qui per febrim delirare conſueſcunt, arteriarum pulſus maior et fortior eminet, febrisque in ſummo eſt, ipſa autem citius miteſcit, ſudor ſi citius poſt aſſumtum potum calidum erumpat. Diverſum vero iſtud ſtadium eſt, prout diverſa corpora habet: aliorum enim perturbatio magna longaque eſt, aliorum brevis et exigua: fereque perpetuum eſt eos citius febre liberari, quorum magnae quam quorum leves perturbationes ſunt: febrium enim ipſae criſes ipſis perturbationibus pares eſſe conſueſcunt.

Poſt perturbationem iterum ad integritatem maxime ſic pervenitur: nempe inclinata ſebre primum caput, dein pectus dorſumque atque crura iuxta inguina ſudore madeſcunt; ſequitur ſpiritus libertas, atque corporis tranquillitas, paulo poſt ſudoris plus; cum his caput minus dolet, ſitis non urget, et arteriarum pulſus iterum mollis evenit; omnia miteſcunt mala; deinde plurimus ſudor ex univerſo corpore erumpit; isque pinguis eſt, et quemadmodum fermentum panis olet: molles iterum arteriae fiunt, fe-

bris-

briſque ex toto deſiſtit, et impoſterum corpus aliquamdiu imbecillum relinquit. Urina rubra pinguisque emittitur, quae multam ſpumam diu ſuſtinet, et, ut frigeſcit, ſedimentum craſſum, lateri trito ſimile praecipitat, atque ſuis ſordibus matulam veluti pingui pelle induit; quae pellis variegati, quemadmodum perlarum mater, coloris eſt. Per talem urinam, ut magis infra *p*) dicetur, potiſſimum noſſe licet, febris, quod intermittens ſit. Hoc enim indicio olim SYDENHAM *q*) obſcuras praeprimis febres cognovit, idque maximi momenti eſſe ſtatuit. Etſi neque et hoc perpetuum ſit; quod nonnunqam urina, etiam cum ipſa febre nihilominus tenuis, flava et ſanorum ſimilis aliquamdiu manet; deindeque, poſteaquam per corticem peruvianum aliquantum ex febre minutum eſt, turbida eadem eveniat, et ſimile ſedimentum praecipitet, quod item notatu dignum eſt.

Poſtremum iſtud febris ſtadium criſeos eſt: idque modo longum, modo breve habetur, prout vel vehemens vel mitis calor anteceſſit, vel plus vel minus potatum eſt, ipſumque corpus humoribus aut caret aut abundat; materiaeque vel plus vel minus coctum eſt. Sequitur ſudorem requies; quae media acceſſione intercedit, haecque non ita quidem integra eſt, quaſi nunc bona valetudo ex toto conſiſtat: imbecilli enim aegri manent, e coxis et cruribus dolent, pedibus male firmi inhaerent, levi de cauſa frigeſcunt, faciem pallidam atque ſubflavam, magis vero flavas oculorum palpebras habent, ſiticuloſi ſunt, atque potinus poſt calidum potum ſudant: ſaepe etiam ſudor e volis manuum iuxtaque frontem erumpit; os amarum et dentes limoſos habent; carnes reſpu-

p) *Libro II.*
q) *Epiſt. prima reſponſoria.*

reſpuunt, ipſarumque odorem et procul ſentiunt, et male ferunt: halitus foedus eſt, qualis poſt longum ieiunium; caput grave eſt, idque, ubi movetur, vertigine vexatur: languet arteriarum pulſus, urina rubra emittitur, haecque, cum frigeſcit, turbida evenit.

Quo longius iſtud intervallum trahit, eo magis ad integritatem pervenitur; quo anguſtius idem eſt, eo maior imbecillitas ramanet. Qui enim quotidiana laborant, magis quam qui tertiana languent, poſt quartanam vero, quoniam biduum integrum ſequitur, intra quod vires recuperari poſſunt, aegri non raro cibos, quemadmodum ſani homines, deſiderant, et ſimiliter urinam limpidam reddunt, neque niſi, quae proxime poſt acceſſionem emittitur, ſimile tale ſedimentum praecipitat. Mulier, quae octana febre laborabat r) eo magis et viribus ſtabat, et cibos deſiderabat, et urinam ſanorum urinae ſimilem emittebat, quo longius ab ultima acceſſione diſtans, verſus proximam pervenerat.

Et febrium intermittentium ſigna atque ſtadia maxime talia ſunt; ſequitur curatio; haecque duplex eſt: altera, quae naturae beneficio, altera, quae medicinae auxilio perficitur. De illa prius dicam, de hac impoſterum; ſcilicet quo rectius a natura ipſa tanquam optima magiſtra diſcamus, febri intermittenti quomodo medendum ſit? Etenim *morborum naturae medici. Invenit natura ipſa ſibi ipſi aggreſſiones non ex praemeditato partim velut eſt nictare, partim vero et ea, quae lingua ſubminiſtrat, et quaecunque alia huiuscemodi, non edocta natura et nullo magiſtro uſa, ea quibus opus eſt, facit* s). Et hic iterum ante omnia quaeritur,

r) *AEGROTUS I.*

s) *HIPP. de morb. popul. Lib. VI. Sect. 5.*

tur; febris intermittens an per criſin finem accipere poſſit?

CAPUT IV.

An febris intermittens criſi finiatur?

Duplex morborum criſis eſt: altera mala, quae noxam poſt ſe relinquit, altera bona, quae integram valetudinem reſtituit: utramque cognoſcere et aegrorum ſalutis plurimum intereſt, et medicis maxime neceſſarium eſt. In qua quidem ſtudii parte celebres praeprimis antiquiores olim medici fuere, qui eandem curioſius ſcrupuloſiusque excoluerunt; ſic ut etiam de diebus ipſis rationem habendam eſſe voluerint; exque ea bonam criſem imparibus, malam vero paribus diebus ſtatuerint. Id alii ut vanum repudiarunt; neque in ullo die, quia par imparve eſſet, aegris vel maius vel minus periculum eſſe dixerunt: et medicum non numerare dies debere, ſed ipſas criſes intueri, et ex his coniecturare, num ſpem curationis, num vero gravius periculum oſtendant.

Nihilominus in uno eodemque morbo, qui cum febre continente erat, ipſe ſaepe expertus ſum, criſin, quae quinto die incepit, morbum ſeptimo ſimiliter finiviſſe: contra, ſi quarto die eadem criſis apparuit, morbum diutius et traxiſſe et peiorem eveniſſe.

Inter eos, qui HIPPOCRATEM ſecuti ſunt, iterum diſputatio eſt, a quo morbi tempore dies numerari debeant: an cum morbus terret, an cum opprimit aegrum? Alii item non numerari quidem dies debere malunt, ſed morbi exacerbationem ſcilicet, *quae vero paribus diebus exacerbantur, paribus iudicantur* t).

Ad

) *HIPP. de morb. pop. Lib. I. Sect.* 3.

Ad iſtius rei medicae contemplationem nullus morbus opportunior eſt, quam qui certum initium habet, ſive is continens ſit, ſive idem certas acceſſiones habeat: perinde ac ipſa febris intermittens. Neque ego unquam a 34 hucusque annis vidi (neque fortaſſis quisquam alius vidit) febrim intermittentem poſt duas, poſt quatuor, poſt ſex acceſſiones per ſe deſiiſſe, ſed poſt impares. *Febres, quae una die intermittentes, altera ſuperrigent, una cum iudicatione ad ſeptimum circuitum durant u), ex quinque ad ſeptem circuitus durant x), tertiana in ſeptem circuitibus ad ſummum iudicatur y). Tertiana exacta in ſeptem circuitibus ad ſummum iudicatur ʒ). Tertiana exquiſita in quinque in ſeptem circuitibus aut ad ſummum in novem iudicatur a).*

HIPPOCRATEM ſecutus Sydenhamius eſt, qui aſſerit, febrim intermittentem, ſiquidem ea pharmaco non curatur, ſponte deſiſtere, ubi ea tantum temporis, quantum continuae febres ad curationem requirunt, per ſeptem ſcilicet acceſſiones, impleverit. Id magis ſuccedit, tertiana, quam ſi quartana febris eſt, magis item ubi vernalis, quam autumnalis ea eſt. Succedit autem ita ſaepe.

Non ſolum acuti morbi iudicantur, ſed etiam chronicorum multi ita finiuntur. Veriſimile autem eſt, ideo antiquiores olim medicos ſaepius quam nos criſes obſervaſſe, quoniam generoſi auxilii defectu tanquam otioſi ſpectatores attendere debebant, quid ferat natura, et quo opprimatur. Hodie vero multi ex iſtis morbis ob id, quod rectum auxilium promptius adhibetur,

u) *HIPP. de morb. pop. Lib. II. Sect. 3.*
x) *HIPP. de morb. pop. Lib. VI. Sect. 1.*
y) *Liber de iudicat. §. 4.*
ʒ) *Lib. Aphor. Sect. 4. Aphor. 59.*
a) *Coac. praenot. Sect. I.*

betur, exitum ſine tali criſi habent. Quamvis neque et hoc praetereundum ſit, ſaepe poſt morbos etiam, qui per generoſa auxilia finem acceperunt, intra convaleſcentiam criſes contingere: quas quidem populares medici non ultra proſequuntur; incurii quid boni natura reſtituto homini praeſtiterit, quem periculo ante eripuiſſe gaudent. At non inutilis iſta naturae operantis contemplatio eſt, ut quae rectam ſaepe viam monſtrat, cum ad cognoſcendos, tum ad curandos morbos chronicos.

Sunt autem multae atque diverſae febrium intermittentium criſes; adeo ut Fracaſtorius dixerit, vix aliquod morborum genus eſſe, quod magis ſuum exitum per criſes accipiat, et cum quo ea, quae antiquiores olim medici de criſibus ſcripta reliquerunt, rectius conveniant, quam haec ipſa febris intermittens. Hippolitus Albertinus *b*) ſtatuit, nullam febrim intermittentem etiam cum adhibito cortice peruviano absque criſi diſcedere.

Inſuper in iſta rei medicae contemplatione noſſe plurimum intereſt, in febribus cum intermittentibus tam continentibus duo eſſe criſium genera: alterum febris, alterum materiae. Sine qua notitia nihil recti in febrium curationibus habere licet. Prior criſis ad febrim pertinet, poſterior ad materiam: has tertia ſequitur, quae non tam criſis, quam reſtitutio functionum appellari poteſt, per quam ea, quae per morbum intus retenta fuere, poſtremo, quando poſt criſes ipſas bona valetudo conſtitit, liberaliter eliminantur. Incipiam a febrium criſi, deinde ad eam, quae materiae eſt, perveniam, poſtremo ad functionum reſtitutionem deſcendam.

Et primo quidem unaquaeque febris intermitten-

C tis

b) *In act. academ. Bonon.* 1731.

tis acceſſio, ut multae aliae continentes longioris curriculi, exitum per ſudorem ſumit; isque non viſcidus neque multum olens eſt, utpote qui nihil ſecum trahit, talis ſudor febris tantum criſis eſt: urina, quae emittitur, non turbida fit, et nulla contenta habet. Ex quo indicio certo praenoſſe licet, acceſſionem, quae deferbuit, nihil materiae moviſſe, ideoque alteram acceſſionem certo reverſuram eſſe: quae notitia, ut paulo magis infra dicam, magni in febrium intermittentium curatione momenti eſt.

Altera criſis materiae ſive fomitis eſt, cum qua miasma convenit; haec per febrim movetur, motu aliquantum ex ea conteritur, coquitur, coctaque per ſudorem ſub acceſſionis fine expellitur. Iſte ſudor liberalis eſt, ex univerſo corpore rumpit, ſpiſſus tenaxque diu ſupra cutim haeret; odorem ut fermentum panis habet, et linteamina tingit: utique quoniam aliquas et ſanguinis et pinguedinis partes, quas humorum omniumque vaſorum vehemens agitatio intra ipſam acceſſionem detriverat, amiſtas habet. Ineſſe autem iſti ſudori non exiguam materiae ſive fomitis portionem, ex ſingulari illo foetore colligere licet, quem febris intermittentis ſudor tanquam proprium ſibi vindicavit, et per quem intermittens ab omni alia febre diſtinguitur. Nullius autem frugi eſt, qui in partibus tantum eſt, et non in toto corpore erumpit, neque utilis eſt, qui morbum facilius ferre non facit.

Incerta imperfectaque iſta criſis eſt, ſcilicet cum qua alia febris perſiſtit, alia quae per tempus aliquod deſiit, revertitur, non ſaepe alia ex toto deſiſtit. Significat autem ſemper quod febris opportuna ad curationem ſit. *Sudor optimus quidem eſt, qui febrim in die iudicatorio ſolvit, commodus eſt, et qui levat*

c). *Sudores enim optimi ſunt, et celerrime febrem ſedant, qui in iudicatoriis diebus fiunt, et febrem perfecte ſubmovent; boni quoque ſunt, qui per totum corpus fientes morbum facilius ferre faciunt. Qui vero nihil horum faciunt, incommodi ſunt d*). Quod ſi igitur Solanus dixit, ſe non reperiiſſe pulſum inciduum ante ſudoris eruptionem, in acceſſibus febrium intermittentium fortaſſis tempore et acceſſionum numero falſus eſt. Ad iſtam enim pulſus obſervationem dies aut acceſſio eligi debet, intra quem febris iudicari conſueſcit: id eſt, uti ſupra propoſui, tertius, quintus, ſeptimus, nonusve dies ſive circuitus. *Sudores febricitanti ſi fiunt, 3, 5, 7, 9, 11, 14, 21 et 31. Hi ſudores morbos iudicant, ſi vero non ſic fiunt, dolores ſignificant e*).

Similiter urina craſſa, quae turbida fit, et ſedimentum lateri trito ſimile praecipitat, quod aliquantum ex contrita materia in ſe habeat, veriſimile eſt; ideoque pro critica etſi imperfecte haberi poteſt. Magis autem indicat, quod febris curationi apta ſit. Eſt autem iſta urina febri intermittenti propria, per quam, ut Sydenham monuit, febrim intermittentem, etiam maxime abſconditam detegimus.

Altera criſis per ulcera fit, quae oris potiſſimum labia, ſaepe nares, nonnunquam fauces et ipſam quoque linguam prehendunt, et certius ſanitatem promittunt: *Febres, in quibus ulcerantur labia, fortaſſis intermittentes et tertianis perfrigerationes f*). Hic autem perfrigerare etſi illud HIPPOCRATES alibi damnaverit, idem ac remittere ſive minus calere ſignificat, quod paulo magis infra *g*) ſcripſit.

 Id

c) *HIPP. coac. praenot. ſect.* 3.
d) *Liber de iudic. verſ.* 1.
e) *HIPP. Lib. de Iudicat. Item aphor.* 36. *Sect.* 4.
f) *HIPP. de morb. pop. Lib. VI. Sect.* 8.
g) *Ibidem Lib. VII. Sect.* 1.

Id per commune eſt: eum vero, ut vulgus ſibi perſuadet, febris expertem fore, cuius labia exulcerantur, perpetuum non eſt, niſi ipſa ulcera omnem febris materiam extus trahant: ſaepe enim ob id, quod intus manet, febris non omnino tollitur, et ea, quae confuſis acceſſionibus ante continuabat, per iſta ulcera incerta tempora atque ſpatia diſtinguitur. Nonnunquam ipſa, etiam quae poſt ulcera deſiit, iterum, quamvis leviſſima de cauſa revertitur, veluti nunc dicam.

AEGROTUS V. Anno 1755 exeunte menſe Aprili virginem 43 annorum febris tertiana prehendit, finitaque tertia acceſſione, ulcera ſecundum oris labia eruperunt, quae multum ex febre minuerunt, ſic ut ea poſt ſeptem circuitus ex toto deſierit: nihilominus die 25 Maii febris (in quem diem, ſi continuaſſet, incidiſſet) reverſa eſt absque manifeſta ratione.

Et profecto iſta omnia antiquiores olim medici non ignorarunt; ſed ſaepe imperfectam iſtam criſin, ſaepe etiam omnino ſine profectu fuiſſe dixerunt.

AEGROTUS VI. Nonnunquam vitiata febris materia alium locum, cui inſedit, demittit, aliumque occupat. Ita ea anno 1757 menſe Februario acutum in latere dolorem per acceſſiones excitavit, exque eo ad guttur atque fauces translata, iſtas partes vehementer exulceravit, ſicque febrim omnino extinxit.

AEGROTUS VII. Si in manibus pedibusve ulcera ex febre fiunt, ambuſtiones appellantur, a quibus promptam febris curationem HIPPOCRATES promiſit: *Amburentes ſtatim ad manum ſolvuntur ſemper* h), quod quidem perpetuum non eſt; ſiquidem cum anno

h) *De morb. pop. Lib. VI. Sect.* 8.

anno 1753 die vigeſimo Octobris mulier proxime poſt partum febre intermittente quotidiana exquiſita aliquamdiu laboraſſet, deindeque dextram manum vehementer inflammatam accepiſſet, ex qua ortae ampullae (veluti per ambuſtiones) ichore plenae ſunt, et diu ſuppurarunt; nihilominus ipſa febris non omnino deſiit, ſed mitior tantum facta impoſterum vagis acceſſionibus reverti continuavit, donec adhibito cortice peruviano deleta fuerit.

AEGROTUS VIII. Vidi per tales ambuſtiones iuxta pedes febrim ex toto extinctam fuiſſe. Anno 1749 iuvenis annos 28 natus, febre intermittente aliquamdiu laborabat; quoniam eam medicus, qui corticem peruvianum metuebat, pulveribus abſorbentibus fruſtra agitaverat; orta deinde in pede inflammatio cum ampullis eſt, poſtquam aeger omnis febris expers evenit. *At amburentes ad manum torpidae, ſiticuloſae, in his alvo ſuppreſſa gravati exſolvuntur. Quandoque vero et rubicundae in pedibus ambuſtiones eadem ſignificant i)*.

AEGROTUS IX. Recte vero HIPPOCRATES dixit, quandoque non ſemper, rubicundas in pedibus ambuſtiones eadem ſignificare, ſiquidem nonnunquam febris, etiam quae ſic deceſſit, paulo poſt reverſa eſt. Anno 1755 virgo annos 40 nata a die 31 Martii febre intermittente tertiana laborabat, et exeunte altera acceſſione inflammationem cum ampullis ichore plenis in ſiniſtro pede accepit, quae febrim omnino diſſipavit, nihilominus reverſa die 9 et 11. Iulii tanquam ordinato tempore febris eſt (veluti numeratis a 31 Martii alternis eo usque diebus conſtitit), quae iterum ut ortae rurſum in pede ambuſtiones ampullaeque ſunt, deſiit. An ideo prima iſta criſis imper-

i) *Coac. Praenot. Sect. 1.*

ſecta fuit, quoniam primae ambuſtiones intra ſecundam acceſſionem nempe parem, eruperunt?

Illud inſuper hic non praetereundum, ſed notatu maxime dignum eſſe exiſtimo, quod iſta inflammatio atque ambuſtio, quae prima erupit, propterea quod ea communibus remediis, refrigerantibus nempe et emollientibus agitata fuit, longum curae tempus traxerit; contra vero quod poſterior, quoniam ei multo cortice peruviano protinus occurſum eſt, quam proxime deleta eiusdemque ulcera ſubito perſanata fuerint, etſi utraque ambuſtio ſimiliter et Zonam rubram ad inguen usque habuerit, et duram ſublividamque cutim, de qua curandi ratione paulo magis infra dicam.

AEGROTUS X. Neque etiam alia quaepiam ulcera, quae intra febrim intermittentem fiunt, ſemper integram valetudinem reſtituunt. Anno 1753 die 4 Aprilis vir 40 annorum febre intermittente tertiana laborabat. Is poſt quartam acceſſionem vomitorio purgatus eſt, deinde corticem peruvianum aſſumſit, qui aliquantum ex febre delevit. Intra iſtam curationem ortus iuxta auriculam dextram absceſſus eſt, qui multum puris et ex auricula et retro eandem effudit, contra exſpectationem ſine profectu: debuit enim impoſterum febris ipſa cortice peruviano expelli.

Sunt, qui volunt, febrim intermittentem etiam vomitu vel alvi fluxu iudicari: perinde ac aliae quaepiam febres continentes ita terminantur. Id obtinet, ſi initio febris omnis vitiata materia ſive in ventriculo, ſive in inteſtinis reſidet, nec ex ea quidquam in ipſum ſanguinem intravit, ſed contra tota ſive ore ſive alvo excutitur. Vel poſteaquam materia per ipſam febrim cocta in ventriculum inve inteſtina depoſita eſt: ſecus purgantia febrim exaſperant, veluti paulo magis infra dicam.

At-

Atque haec de febris intermittentis criſibus, quae fiunt erumpendo, ſive per evacuationem. Sunt adhuc aliquae, quae per tranſpoſitionem materiae coctae (metaſtaſin vocant) contingunt: per Icterum nempe et per alvi tumorem. De quo quidem exitu, quoniam is privatam conſiderationem ſibi vindicat, libro tertio fuſius dicam.

Poſt criſes ad eos humorum exitus venio, qui intus per febrim retenti fuere, et excuſſa febre reſtitutiſque functionibus nunc liberalius erumpere conſueſcunt. Quos inter memoratu dignum largum illud tenuis urinae profluvium eſt, quod omnes fere intermittentes febres ſequitur, et de quo quidem antiquiſſimi olim medici nihil memoraverunt; poſteriores vero recte locuti ſunt *k*), atque ab aliquibus pro critico habetur, ſcilicet excuſſa febre plurima urina, tenuis, limpida, ſtraminei coloris ſaepe ſaepius emittitur, ſic, ut ea omnem potus copiam et longe ſuperet, et ipſe convaleſcens miretur, quod mingendo plus reddat, quam quidem bibendo accepit.

Verum necquicquam criticum iſtud lotii profluvium eſt; cum quoniam ipſum per ſe febrim non ſubmovet, ſed finita febre (ſive ea per corticem peruvianum ſive per aliud quodpiam auxilium, ſive denique naturae beneficio expuncta fuerit) poſt octo vel poſt quatuordecim dies erumpit: tum quoniam ipſa febris nonnunquam poſt talem exitum revertitur, ubi eandem recte adhibito medicamento non proſequimur: denique quoniam talis urina citius evenit, ſi febris ipſa citius excutitur: tardius, ſi recte adhibito auxilio tardius occurritur. Non igitur iſtud urinae profluvium pro critico haberi poteſt; ſed bono

k) *Franciſc. Torti Therapeut. special. Lib. I.*
Werlhof *obſervat. de febr. ſect.* 5. §. 8.

tantum indicio eſt; eum, qui ita poſt febrim mingit, procul ab hydrope abeſſe; ipſumque hydropem, qui eſt, per talem exitum finem habiturum eſſe. Veluti id libro tertio, capite de hydrope, fuſius dicam.

Similiter mulierum menſtruus ſanguinis fluxus, nutricum item lac atque puerperarum lochia, ſiquidem ea per febrim intus retenta fuere, expuncta febre iterum erumpunt. Non ea febris criſes ſunt, ſed reſtitutus exitus. Quod ſi autem hi ipſi retenti humores novum quemdam morbum per ſe effecerint, et deinde erumpant, tunc hi poſtremi iſtius ſui morbi criſes ſunt; non febris prioris.

CAPUT V.

Quomodo febri intermittenti medendum ſit?

Febri intermittenti duplex medendi ratio eſt: altera rationalis, altera empirica: de illa prius dicam, de hac deinde: ſubiiciamque quomodo ab utraque peti praeſidium debeat.

Et primo quidem, poteſt vel unaquaeque febris intermittentis acceſſio pro febre continua breviſſimi circuitus haberi, vel poſſunt multae ex his tanquam continua longioris curriculi ſimul ſumi: utcunque ſit; recte curandi rationi conſentaneum eſſe videtur, iiſdem auxiliis febri intermittenti, quibus ipſi continuae occurri debere; id eſt his, quae nimium aeſtum extinguere poſſunt, ceu venae ſectione, refrigerantibuſque remediis, atque tenui victu; donec morbus per ſe exitum habiturus ſit. Verum iſta curatio ſola ſucceſſu ſaepe caruit.

GALENUS eiuſdemque diſcipuli medicamentis quibuſdam datis coctionem moliebantur: deinde eam materiam, quae laedere videbatur, ducendo ſaepius

alvum

alvum ſubtrahere volebant. Illud autem vanum erat. Nam et quid concoquere voluerint, et quomodo potuerint, non recte ſciebant; neque quo tempore, neque per quam viam id, quod laedere exiſtimabant, subtrahi poſſit, ſatis cognoſcebant. Imo, quod in his alvum ſaepe ducere exitioſum ſit, experientia in ipſis curationibus ſatis docuit. Sic enim et febris exaſperatur, et ipſa inveterando malos quoſdam corporis affectus inducit. Veluti proximo capite et infra libro tertio ponam.

Rectius alii inter antiquiſſimos olim medicos operam dederunt, ut excitato vel vomitu vel ſudore febrim diſcuterent: utique, quoniam videbant, ſaepe aegros in ipſo acceſſionis principio vomere et inclinata febre plurimum ſudare; quod nonnunquam profecerat. Quos inter HIPPOCRATES, tertiana cum eſſet, iuſſit l), *Radicum quinque folii tritarum acetabuli menſuram ex aqua bibendam, ſi vero neque ſic ceſſet, multa calida loto trifolium et ſilphii ſucum in vino pari aqua amiſta bibenda praebeto, et reclinato veſtimenta multa integito, donec exſudet*. Quartana vero ubi erat, eadem fere remedia at paulo magis dabat. *Apud antiquiores quoque ante Herophilum et Eraſiſtratem maximeque poſt* HIPPOCRATEM *fuit Petron quidam, qui febricitantem hominem, ubi acceperat, multis veſtimentis operiebat, ut ſimul calorem ingentem ſitimque excitaret. Deinde ubi paulum remitti coeperat febris, aquam frigidam potui dabat; ac, ſi moveret ſudorem explicuiſſe ſe aegrum iudicabat: ſi non moverat, pleus etiam aquae frigidae ingerebat, et tum vomere cogebat. Si alterutro modo febre liberaverat, protinus ſuillam aſſam et vinum homini dabat, ſi non liberaverat decoquebat aquam ſale adiecto, eamque bibere cogebat, ut vomendo ventrem purgaret* m).

Alii item febrim diſcuſſerunt, cum ſub exſpecta-

l) *Lib. de morb. II. Sect. 2.*
m) *A. C. Celſus Lib. III. Cap. 9.*

ctatione proximae acceſſionis ſudorem excitaſſent: ſcilicet aeger *antequam inhorreſcere poſſit, operiatur, fomentiſque protinus calidioribus totum corpus circumdare convenit, maximeque involutis extinctis teſtis et titionibus, aut in balenum deducatur, deturque opera, ut per tempus horroris in ſolio ſit n*).

Quos multi maximeque ex plebe ſecuti ſunt, cum medicamenta ſudorifica et potum aromaticum calidum ante ipſam acceſſionem ſumunt, deindeque corpus multis veſtimentis tegunt, queis ſudor ante excitetur, quam aeger inhorreſcit. *Siquidem ea quoque aſſumta calorem movent, qui horrorem non admittit o*).

Quae medicina hodie adhuc recepta a ruſticis hominibus eſt, qui, ubi febre tentantur, ſpiritum frumenti accipiunt adiecto pipere, vel vinum, in quo cocta ruta abſynthiumve eſt, vel ſpiritum frumenti cum myrrha, aut nuce moſchata amiſto ovorum vitello, ante ipſam acceſſionem hauriunt, et corpus, ſive curſu ſive labore exercent, ut ſudotem ante moveant, quam inalgeſcant. *Quo die vero febrim expectabit, ante ſurgere et exerceri, dareque operam oportet, ut in ipſam exercitationem tempus febris incurrat: ſic enim ſaepe illa diſcutitur p*).

Atque in hoc omnis eorum medicina ſubſiſtit, qui febrim intermittentem ſine cortice peruviano excutere contendunt, quae quidem tuta videri poteſt, facilis febris maximeque tertiana ubi eſt, in corpore puro, quod laxum eſt, neque ſanguine turget: at ubi impurum corpus eſt, aut ſanguine abundat, ſi iuvenilis aetas aut tempeſtas fervida eſt, ſi propter ipſam febrim pleuritis vel lethargus adeſt, vel puerperarum lochia intus cohibentur; ſi aliqua inflammatio

n) *Ibidem Cap.* 12.
o) *Ibidem Cap.* 12. *et* 16.
p) *A. C. Celſus Cap.* 15.

tio ſubeſt, aut quidam alius affectus ipſi febri intervenit, utique exitioſum iſtud medicinae genus foret.

Quare praeſtat ad corticem peruvianum confugere, tanquam a quo promptum atque ſecurum auxilium haberi poteſt. Neque abſurdum eſt, eidem talia intra ipſam acceſſionem interponere, quae omnibus febribus in genere conveniunt. Veluti nunc dicam.

Nempe ubi frigus incipit, aeger veſtimentis operiatur, et fomentis circumdatus potum calidum aromaticum ſorbeat, ut ſudet: ſic enim univerſum corpus molle fit, et vaſa relaxantur, quo liberalius miaſma febrile et tranſmittere poſſint, et ipſa minus ab eodem ſtimulentur.

Contra cum calor incepit, aqua vel ſimplex vel cocta potui danda eſt adiecta vel nitri vel ſalis polychreſti cryſtallorumve tartari portione, cum aliquo ſyrupo acido; his enim poteſt ſanguis fluidus ſervari: non autem potum gelidum concedere oportet; poſſet enim is, quoniam eum bibere etiam ultra ſatietatem aegri conſueſcunt, ventriculum laedere, et ſine profectu vomitum excitare: ſed aquae frigus calore frangi et parvis ſaepe hauſtibus corpus impleri debet; ſic enim carnes magis molles fiunt, et ſudor, per quem febris exitum ſumit, citius movetur.

Poſt, ubi cutis ſudore immadeſcit, dandus iterum potus calidus eſt, qui et ſudorem liberaliter expediat, et tantum bibendo reſtituat, quantum ſudando amittitur. Cumque ſatis ſudoris amiſſum erit, reficiendus aeger cardiaco eſt, deinde totum corpus abſtergendum, et linteo calefacto induendum; poſteaque veſtimentis contra frigus muniendum. Ineſt autem iſti ſudori quidquam fomitis et miaſmatis, ſicque ſanguis quaſi deſpumat q).

At-

q) *Sydenham Sect. I. Cap. 5.*

Atque talia quidem intra ipſam febris acceſſionem conveniunt. Sequitur curatio, quae intermiſſionis tempore adhiberi debet.

Et ante omnia quaeritur, mediis inter acceſſiones diebus aeger qua ratione purgandus ſit? Alii enim alvum ſubducendam eſſe volunt: alii vomere cogunt. In qua quidem purgandi ratione multum cum a plebe tum a medicis peccatur: qui ſibi perſuadent, quaſi ducendo ſaepe alvum impura quaeque extrahi, qualia putant intus in corpore eſſe. Verum ego exiſtimo, febre intermittente laborantia corpora nulla re magis hodie offendi, quam purgantibus pharmacis, quibus profecto abutuntur. Debet enim ante omnia Medicus attendere ad ea, quae, qualia, quo tempore, per quos exitus, et quibus adhibitis pharmacis educere conveniat..

In qua quidem obſervatione antiquiores olim medici ſcrupoloſiores erant, quam novi hodie dictatores, qui quovis tempore et quocunque modo aegrorum ventres ſive ſurſum ſive deorſum pro libitu turbant. *Medicamentorum purgantium res non ita ſe habet, quemadmodum vulgo putatur. Eodem enim medicamento purgantur, et non purgantur. Quandoque etiam alia purgat, quam quae purgare ſolet* r). Quare ante omnia noſſe intereſt, qualia et quo tempore et per quos exitus purgare conveniat. *Oportet igitur primumillioſis dare, quod bilem purgat, pituitoſis, quod pituitam, hydropicis, quod aquam, atrabiliariis, quod bilem atram. Si vero extra haec purgaveris, quae quidem purgari debent, non purgabis; quae vero non debent ea evacuabis. Quare in utramque partem peccabis* s).

Ne vero in iſtum errorem incidamus, regulas nor-

r) *HIPP. Lib. de medicament. purg. Vers. I.*
s) *Ibidem*

normamque nobis HIPPOCRATES ſapienter reliquit, quas recte ſequi debeamus. *Nempe, ſi qualia oportet purgari, purgentur, confert et facile ferunt, contra vero difficulter* t).

Deinde noſſe intereſt, qualia ea ſint, quae purgari oportet: quod item recte ab HIPPOCRATE ſcriptum eſt: nempe *concocta medicamentis aggredi oportet et movere, non cruda, neque in principiis, ſi non turgeant, plurima vero non turgent* u). Quare ante omnia in febrium intermittentium curatione attendendum eſt, crudane an cocta materia ſit, et an corpus ea turgeat. Non autem coqui ſolet in principiis materia, ob quam rationem in corporibus, quae turgere non inveni; nihil movebam, ſed poſtea dum coctam materiam eſſe probabili coniectura computabam, deinde ant vomitorio aut infraducente pharmaco purgabam. Sic enim vel excuſſa febris eſt, vel ea curationi aptior evenit. *Asclepiades ſi tertiana febris eſt, tertio die poſt acceſſionem alvum duci debere: quinto poſt horrorem vomitum elicere* v).

Male igitur aegris conſulunt activi illi medici, qui intempeſtive aegrorum corpora purgare contendunt, atque impoſterum ſaepe purgare continuant. Sic enim infimi ventris viſcera, quae per ſe ob febrim ſatis aegra ſunt, male vexant, fatigant, eorum actionem, quae in omnes fere corporis partes late extendit ſe, turbant, humores concutiunt, bonoſque expellunt; ipſaſque febres pertinaces atque contra corticem peruvianum rebelles efficiunt: adeo ut ipſi ſaepe mirentur, quod cortex eorum ſpem atque expectationem fefellerit. Et profecto cortex peruvianus aeque

t) *HIPP. Aph. 3. Sect. 3. aph. 3. Sect. 4. Item de morb. pop. Lib. VI. Sect. 4.*

u) *HIPP. aph. 22. et aphor. 25. Sect. I.*

v) *Celſus Lib. III. Cap. 14.*

aeque impar eſt, medendo febri tempore cruditatis, ac cum corpora impura ſunt. Illud in ordinatis perinde ac in inordinatis febribus ſaepe vidi. En exempla.

Anno 1773. autumno multae erant febres inordinatae. Etſi enim poſt adhibita diverſa remedia ipſa etiam urina, quemadmodum iuxta ſanos homines, nubeculam accepiſſet, et aegri medicamenta vomitoria alvum laxantia atque ipſum corticem aſſumſiſſent, tamen nihil ex morbo mutatum eſt, poſteaquam vero multus ſudor acidus & olens erupit, et urina turbida evenit, facta ipſa febris ordinata eſt, et nunc facile ſubmoveri potuit: neque ulli talis reverſa eſt: utique quoniam iſto tempore concocta materia erat. *Antiqui medicamentis quibusdam datis concoctionem moliebantur, eo quod cruditatem maxime horrebant, deinde eam materiam, quae laedere videbatur, ducendo ſaepius alvum ſubtrahebant* x).

Sed non ſatis eſt noſſe concocta non cruda moveri debere, neque in morborum principiis; ſed intereſt quoque ſcire, per quem exitum, ſuperne an inferne educi debeant: utique per eos exitus, per quos natura tendit. *Quae ducere oportet, quo maxime repunt, eo ducere oportet per convenientes locos* y), ſed etiam iſtos locos HIPPOCRATES praeclare indicavit. *Quibus quidem id, quod ſanum eſt, relinquitur, cauſa deorſum ſubmiſſa eos aut purgato — quibus vero non, non* z). Deinde ſigna adiecit, per quae noſci poſſit, quando materia per ſuperiora duci debeat, quando per inferiora. *Subpurgandi ſunt ventres in morbis, ubi purganda materia fuerit. Inferni quidem, ubi conſidiſſe videris: ſignum habes, ſi non anxii fuerint, neque capite* gra-

x) *A. C. Celsus Lib.* 3. *Cap.* 4.
y) *HIPP. Aph.* 21. *Sect. I.*
z) *de morbis pop. Lib. VI. Sect.* 6.

gravati, et cum calores mitiſſimi, et cum poſt exacerbationes ceſſarint, ſuperni vero in ipſis exacerbationibus. Tunc enim et hi elevantur, cum anxii et gravati ſupernis partibus fuerint; propterea vero in principiis purgandum non eſt, quouiam ſua ſponte in his temporibus expurgantur a).

Haec intra diverſi anni tempora magis patent: etenim cum per hyemem corpora magis quieſcunt, et plus per cibum accipiunt, quam per laborem, atque tempeſtatem amittunt, utique et ſanguinis et ſucci plus habent, quam aeſtates ob quae infimi ventris viſcera humidiora eveniunt, et mollior alvus eſt. Ideo hyeme et vere ſi purgare convenit, infra ducere praeſtat. Contra quoniam aeſtate per calorem atque laborem humorum plus amittitur, quam accipitur, ſicciora quodam modo viſcera ſunt, et humores magis concentrati (maximeque bilis), qui his facile vitiantur; utique hyeme magis infra, aeſtate vero potius ſupra evacuare ſalubre eſt. *Medicamentis purgare oportet aeſtate quidem ſuperiores magis, hyeme vero inferiores b*), *ob eandem rationem graciles et facile vomentes ſurſum purgare oportet, vitantes hyemem c*). *Difficulter vomentes et moderate carnoſos deorſum vitantes aeſtatem d*). Adeo enim attentus erat HIPPOCRATES.

Maxime etiam attendendum eſt, ne in die, quo criſes fieri conſueſcunt, aut natura exitum moliri ſolet, medicamentum ſive ſurſum ſive infra purgans praebeatur; quod omnino adverſum eſt, et ſaepe exitioſum evenire poſſet. Ideo antiqui Methodici Aſclepiadem ſecuti reprehendendi ſunt, quoniam febre laborantibus die tertia, quinta et ſeptima medicamenta mo-

a) *HIPP. de morb. pop. Lib. VII. Sect. 2. Vers. 32.*
b) *HIPP. Aphor. 4. Sect. 4.*
c) *HIPP. Aphor. 6. Sect. 4.*
d) *Ibidem Aphor. 7.*

moventia, qualia purgantia ſunt, dabant. Sic enim boni nihil efficere poterant, mali vero multum patrare. *Quicunque iam a febre continua correpti pharmaco uſi ſunt in diebus paribus, hi nimium purgati nunquam ſunt. Qui vero in diebus imparibus medicamento forti uſi ſunt, nimium purgati ſunt. Multi etiam perierunt nimium purgati. Proinde priores medici in hoc maxime peccarunt. Medicamenta exhibuerunt in diebus imparibus et homines peremerunt, non ſcientes, quod haec res ſe ita habet. Humor enim in corpore aegroti magis turbatur in imparibus diebus, nimirum corpore humorem ad ventriculum transmittente. Et ſiquis iam turbatum magis perturbet, medicamento immiſſo nihil miri eſt, ex talibus hominem perire* e). Quod hic de purgatione in diebus paribus atque imparibus, ſi continentes febres ſint, HIPPOCRATES monet, idem de paribus atque imparibus acceſſionibus febrium intermittentium, ut paulo magis ſupra poſitum eſt, cenſeri debet. Igitur ubi ducere convenit, et nihil urget, altero poſt parem circuitum die ducere convenit. *Denſari vero oportet alvi egeſtionem morbo ad iudicationem tendente* f).

Quare male conſulunt aegris medici, qui ſpreta tali conſideratione, quovis die, et quoties ipſis, ſaepe abſque manifeſta ratione ita placuerit, alvum laxant, aut vomitu vexant. His enim et coctionem et criſes turbant, et viſcera laceſſunt, et pertinacem morbum efficiunt, et recidivis obnoxium: veluti experientia ſaepe ſaepius docuit. Quod ſi vero adverſas iſtas purgandi methodos non ubique tanta ſequantur mala, eſt utique, quoniam naturae vis impetuſque quandoque et morbum ſimul et ipſam adverſam medicinam vincit: maximeque cum leniora noſtra pharmaca

e) *HIPP. de morb. Lib. IV. Sect. I. Verſ.* 21.
f) *Liber. de iudicatione.*

maca ſint, quam quibus veteres utebantur. Qui ſucceſſus plebeios medicos fallit.

Etſi autem pro his legibus, quae ſupra poſitae ſunt, neque quovis die, neque in febrium principiis pharmaco aggredi conveniat, nihilominus eſt et ſaepe quidem, cum populares febres ſunt, obtinet, in initio purgare et liceat, et opus ſit: ſcilicet cum materia turget: licet, ſi fomes novus eſt, aut, etſi is recens non ſit, tamen miaſma proxime ante admiſit: ſic enim protinus exhibito pharmaco ſaepe omne eiicitur, totaque febris extinguitur: quod in febribus autumnalibus poſt fervidam aeſtatem magis quam in vernalibus ſuccedit: aeſtate, ut ſupra dictum eſt, ſuperne ducente, vere inferne trahente pharmaco. Deinde ſi quid vehementer urget, etiam ante purgare opus eſt, ſine expectatione coctionis: nempe hos, quos febris ipſa vehementer laedere poteſt, tabidos puta, gravidas mulieres, puerperas, et aetate decrepitos homines: his enim febris noxia eſt. Noxium quoque eſt, etſi tempeſtas, materia et fomes vomere iubeant, ad vomendum cogere eum, qui ſanguinem ſpuere consueſcit, qui pulmones ulceratos habet, qui hernia affectus eſt, mulierem, quae gravida eſt, quae nimio ſanguinis fluxu affecta eſt: item eum, qui craſſus, curtoque collo ſtertens eſt, et difficulter vomit, omnes hos deorſum movere tutius eſt. Poſtremo non magna ſed levis noxa eſt, alvum leni pharmaco, quoniam tale hodie varium habemus, ante ſubducere, quam caetera auxilia indantur; cum quoniam eo impura, quae ſubeſſe et curationi obſtare poſſunt, amoveantur; tum quoniam tale ante datum neque coctionem neque impoſterum criſin turbabit. Ubi autem febris inveteravit, aut per recidivas invaluit, ſaepe purgare non ſolum vanum, ſed et exitiale eſt: veluti paulo magis infra dicam.

Ut autem plus quam opus eſt, purgare, febrim exaſperat, eandemque pertinacem efficit, ita alvum non ſatis ducere, cum cocta materia ibi locorum convenit, malum eſt; neque enim tunc febris etiam cum adhibito multo cortice peruviano aegrum dimittit. Ita ut plurimum in mucoſis corporibus contingit, quando ad exitum febrium continentium mucus ſolvitur, atque in infimo ventre deponitur: aut quando mucoſa ſanguinis pars quam Serum vocant, intra continentis febris aeſtum adusta compactaque deinde coquitur, coctaque in infimum ventrem critice transfertur. Qui eo poſt continentem febrim deciderunt, et ideo intermittentem acceperunt, eos protinus una aut altera vice purgare opus eſt; et hi protinus intermittente liberantur.

Quod ſi horum nihil anteceſſit, ſed homines ante ſani in febrim intermittentem inciderunt, et per ſe talem mucum coquunt, atque in infimum ventrem recipiunt, horum alvum ſaepe pharmaco vacure opus eſt. Id eſt toties, quoties, quod talia cocta intus convenerint, conſtabit: Conveniunt autem talia ſaepe. Ubi id obtinet, corticem peruvianum offerre noxium foret; ſed contra debet febris relinqui et ſuſtineri, quoniam ea coquit, depuratque.

Quod ſi ſine tali cauſarum atque criſium circumſtantia aliquem febre intermittente laborantem hominem accipio, et cruditatis ſigna adſunt, neque ullum periculum urget, eius alvum poſt tres circuitus moveo, ſcilicet ut per id temporis materia ſive coquatur ſive ſolvatur: deindeque poſt purgatum ventrem, ſi coctionis ſigna adſunt, corticem peruvianum praeſto; ſimiliter eos habeo, qui paſſi recidivam ſunt.

Male igitur medici agunt, qui absque tali conſideratione protinus aegros et vomere et alvum deponere cogunt; deindeque corticem offerunt. Sic enim

fe-

febrim ſupprimunt, non expungunt, ſalutare naturae conamen coctionem obtundunt atque peſſumdant, aegros laedunt, eosdemque recidivis obnoxios efficiunt.

Non ſolum intereſt noſſe, quo morbi tempore vacuare conveniat, ſed etiam quo medio inter acceſſiones intervallo purgare praeſtet. Alii ſub deceſſu febris purgare volunt, alii ante malunt, quam febris accedit. Tutius erit, cum febris ex toto deſierit: etenim ſi ad exitum febris vel purgans vel vomitorium datur, poſſunt ex eo aegri vires, quas febris ipſa ſatis imbecillas effecit, magis adhuc convelli. Si ſerius, metuendum eſt, ne in ipſam febrim purgatio incidat, ſummaque in eo pernicies ſit, quod auxilii cauſa fuit inventum. Multi enim ex his ita ſuperpurgati ſunt, et ideo exitioſe habuerunt, quoniam et purgatio et acceſſio febris convenerunt: ita magis contingere poteſt, ubi febris certum non habet circuitum, aut quando quotidiana longior eſt, aut ubi acceſſiones confunduntur. Quare ad id maxime attendendum eſt ut, cum tertiana mane incepit, et noctu deſiit, poſtero die purgetur: ſi noctu acceſſit, et longe in diem traxit, altero die purgatio detur.

In quartana vero, quoniam biduum integrum perſtat, commodum eſt poſtremo purgare.

At in quotidiana febre, ſi neque tempora remisſionum liberaliora ſint, neque medicamentum emeticum dare propter alium corporis affectum liceat, inclinata iam febre purgare oportet, motusque ante proximam acceſſionem narcotico remedio componere. Quod ſi vero vomitorium ferri poteſt, illud tutius in remiſſione aſſumitur; quoniam id tres tantum horas operatione implet, et finem ante habere poteſt, quam nova acceſſio incipiat.

Atque tali quidem cautione opus eſt, quoties purgandum erit,

Eſt

Eſt autem alia etiam de cibis ipſis dubitatio, atque aeger qua ratione continendus ſit. Alii enim victum tenuem eſſe volunt, alii veluti Sydenham carnes aegris concedunt; alii denique cubantis etiam luxuriae ſubſcribunt, temera in corticem peruvianum fiducia; utpote a quo certum auxilium exſpectant. Ego quidem aegri vires ieiunio non convellendas eſſe volo, at ipſam tamen carnem aut ova aut piſces, aut paſtam aut lac aut caſeum, aut quae ceterum digeſtu difficilia ſunt, non niſi quam ſaniſſimo dari debere. Minus enim corrumpitur, quod integro corpori infertur; *et non pura corpora, quando plus nutries, tanto magis laedes* g).

Sed iura carnium, cremor ſive hordei ſive orizae ſive avenae, radices, Cichoreum, Lactuca, pruna pomave cocta mediis inter febres diebus cibo danda ſunt. Poteſt etiam aeger ſive aquam ſive vini quidquam, ubi non nauſeat, ſive infuſum Thée ſive tenue decoctum Caffée, ſi ſine calore eſt, bibere. *Quoscunque aegrotantes non continenter febres detinent, ſed intermittentes prehendunt, his poſt acceſſionem cibi exhibendi: coniectura facta, nequando a recenti alimento ſed iam concoctis cibis febris ingruat* h).

His ita ordinatis ad febris curationem venio

Qui morbis mederi vult, ante omnia attendat, cognitumque habeat, quomodo natura ipſa ſibi ipſi ſufficiens morbos expellat. Etenim *morborum naturae medici. Invenit natura ipſa ſibi ipſi aggreſſiones non ex praemeditato, partim velut eſt nictare, partim vero et ea quae lingua ſubminiſtrat, et quaecunque alia huiuscemodi non edocta natura et nullo magiſtro uſa, ea, quibus opus eſt, facit* i). Ad id non ſolum in novis morbis, et quo-

g) *HIPP. Aphor. decim. Sect.* 2.
h) *HIPP. de affect. capite* 16.
i) *HIPP. de morb. pop. Lib. VI. Sect.* 5.

quorum indoles incognita nobis eſt, attendere opus eſt; ſed et in notis atque communibus. Quae quidem ſimplex rectaque via normaque nunquam magis a popularibus medicis negligitur, temniturque, quam cum ſpecificum aliquod remedium manu tenent: eodemque omnia pellere exiſtimant, veluti in ipſa febre intermittente: quo autem remedio ſpreta tali attentione, nunquam recte uti poterunt.

Quare ante omnia ad naturam operantem dirigi omnis attentio debet et videri, quomodo ipſa ea, quae contra naturam ſunt, coquat, coctaque expellat: quomodo ipſa materiam ſive fomitem, qui febris miasma recepit, coquat, quando per febrim chronici morbi materiam coquit, quae corpora ad coctionem criſinque apta ſint, quae inepta; cum quibus morbis ſive aetatum ſive tempeſtatum ſive caeterum antiquis morbis febris convenerit, deinde noſſe ſtudeat, quid criſes impediat atque hae qua ratione perfici queant. Item quibus ſalubris febris eſſe poſſit, quibus perniciosa. Quae protinus pelli debeat, quam corpori per tempus ineſſe praeſtet. Haec per exempla rectius patebunt, quorum prae caeteris, ne iuſto longior ſim, unum pro ſingulo caſu adducam exempli gratia ſatis frequens.

Sicilicet ſaepe obtinet, ut ſanguinis cruſta inflammatoria in continentibus febribus coquatur, cocta poſt in infimo ventre deponatur. Haec ſi ibi locorum reſidet, febrim intermittentem excitat. Id eſt quoniam cum ea ipſum intermittentis miasma convenit. Si reſidentem iſtam materiam natura per alvum excutit, febris ipſa deſiſtit.

AEGROTUS XI. Anno 1773 die 28 Iunii Cantor febre continente laborabat, quae ictero iudicata eſt: convaluit. Paulo poſt incidit in febrim quotidianam, quae poſt ſeptem acceſſiones finem ſumſit,

excuſſa per alvum multa mucoſa materia, neque paſſus recidivam eſt. Utique cocta cruſta ſanguinis inflammatoria in hepate depoſita continentis febris criſis erat. Mucoſae materiae ex hepate in inteſtina deſcenſus icteri criſes erat, ſed et fomes ſimul, qui miasma febrile admiſit; inde orta quotidiana non alia eſt, pituitae ratione. Poſt ſeptem nempe impares circuitus febris deſiit, expulſa per alvum ſalubri naturae molimine, pituita. Neque paſſus aeger recidivam eſt: propterea quod ea materia, quae miasma febrile admiſerat, omnis excuſſa eſt.

AEGROTUS XII. Illud, et multa talia ſimilia, natura perfecit. Nunc videndum; quomodo ars naturam imitari debeat. Exemplo ſit vir annorum 50 temperamenti melancholici, is ad exitum aeſtatis anni 1778 febre tertiana affectus eſt. Aſſumta Hypecacuanha vomuit, deinde alvum pharmaco ſubduxit, poſt corticem peruvianum aſſumſit, qui febrim necquicquam movit. Ego aegrum ſine cortice eſſe iuſſi, ſed contra medicamenta refrigerantia praeſtiti, febrim autem ipſam ſivi, ut ea coquat. Poſt haec facta duplex tertiana eſt: cumque exiſtimaſſem, ſatis coctam materiam eſſe, aegro lene purgans praeſtiti; poſt quod urina turbida evenit et ſedimentum lateri trito ſimile depoſuit. Inde minuta febris eſt. Deinde urina clara evenit, et ſubſidentiam habuit. Poſt hanc corticem peruvianum obtuli, qui febrim excuſſit.

Nihilominus aeger male habuit, infirmus manſit, cava tempora habuit, et cutim ex flavo ſubnigram: utique ab atra bile, quam febris ſolvit et movit. Ob quam cauſam gummi Galbani et Ammoniaci ana drachmam, extracti gummatoſi Aloes et Myrrhae ana grana quindecim cum extracto Fumariae in pilulas ſexaginta compegi, iuſſique, ut ex his aeger quinque ter per diem aſſumat. His per quatuor fere ſeptima-

nas

nas multa mucoſa, nigra meraca alvo ſeceſſerunt, aegerque melius habuit. Nihilominus aeger eodem anno ſine cauſa manifeſta bis recidivam paſſus eſt: utique ob atram bilem, quae remanſit. Quae quam proxime ſine cortice peruviano deſiit, poſteaquam atra bilis, quae item per febrim mota fuit, iſtis pilulis ſubducta eſt. Cumque poſtremo nihil atrae bilis ſuperfuiſſet, urina ſedimentum album, leve, aequale depoſuit: aeger integre convaluit.

In iſto aegro atra bilis mota fomes erat, qui miasma febrile recepit; ex iſta unione orta febris eſt, quae item atram bilem magis movit, ſolvitque. Ideo inutilis et fruſtra cortex peruvianus erat. Subducta atra bile febris deſiit. Reverſa eſt poſteaquam iterum ſoluta atra bilis par erat miasmati recipiendo. Iterumque deſiit, poſteaquam item atra bilis ſubducta erat. Poſtremo cum vacuata atra bilis erat, ſecutum ſedimentum album leve aequale in urina eſt, impoſterum absque recidiva.

AEGROTUS XIII, Anno 1775 menſe Auguſto iuvenis Centurio febre terciana correptus eſt. Pro more uſitato vomitorium primo, deinde purgans pharmacum ſumſit, corticem peruvianum proxime poſt. Per corticem ſubacta febris eſt, eademque ſaepe reverſa eſt. Saepe corticem aſſumſit, ſaepe etiam eundem dimiſit, propterea quod nihilominus febris ſaepe revenit. Modo item febris, modo medicinae pertaeſus omnia, quae voluit, comedit. Ita diverſim traxit in Novembrim usque anni 1776.

Huic decoctum ligni Quaſſiae praeſtiti, quod infimi ventris viſcera raboraret, et ad agendum apta efficeret. Secuta urina eſt, quae ſedimentum album, leve, aequale praecipitavit, ſicque febris deſiit. Poſteaquam febris deſiiſſet, et tale ſedimentum ſex ſeptimanis urina depoſuiſſet, ſano homini corticem

peruvianum offerre coepi, ad firmandam bonam valetudinem.

Multum quoque intereſt noſſe, quae febres facilem coctionem admittant, quae difficilem recipiant. Inde celebris illa febrium diviſio in vernales et autumnales venit: vernales ſi neque mala vivendi ratione vitiantur, neque iniquo medicamentorum apparatu turbantur, ſed caute naturae relinquuntur, ſaepe per ſe finem ſumunt, poſt quinque aut poſt ſeptem, ut HIPPOCRATES recte monuit, circuitus. Non ſolum ita febris vernalis per ſe ipſam exitum ſumit, ſed etiam autumnalem quae anteceſſit, terminat atque tollit, per quinque item circuitus. Siquidem, ſi quis febre autumnali tertiana laborat, et ei recte occurſum eſt, neque ſecuta recidiva per autumnum perque hyemem fuit, ſaepe contigit, ut eadem febris Vere revertatur, quae poſt quinque circuitus per ſe finem ſumit. Et tunc homo nulli impoſterum recidivae obnoxius eſt: quaſi febris vernalis reliquias, etſi exiguas autumnalis ſolviſſet, coxiſſet, coctasque omnino expuliſſet.

Veroſimile eſt, ideo febres vernales praeprimis et per ſe facilius finem accipere, et medicamentis opportunius ſubigi poſſe, quoniam corpora Vere molliora humidioraque ſunt, et ad coquendum magis apta, quam Autumno: corpora enim, quae hyeme quieverunt, et quoniam ea intra iſtud anni tempus ob denſam cutim minus tranſpirant *), utique plus humorum confecerunt, magis mollia et ſucco plena evenerunt, etiam facta magis apta ſunt ad coquendum, ſicque Vere et citius et perfectius iudicantur; ſucculenta enim corpora, ut item Hippocrates ait, melius concoquunt, quam ſicca.

Au-

*) *HIPP.*

Autumnales difficiles ſunt; quoniam corpora, quae aeſtatis fervor ante ſicca effecit, compactos item humores multoque ita acriores reddidit, minus ad coquendum apta reliquit. Nihilominus nonnunquam eſt, ubi etiam autumnales, imo diverſae ſpeciei febres, ſimiliter ut vernales per ſe finem ſumunt. Nempe prout ſolitaria aut compoſita febris eſt, aut favens tempeſtas, aut ſecunda aetas aut corporis commoda compages eſt.

Hic eas notas adiiciam, per quas didici, quae febres facilem, quae difficilem curationem admittant. Itaque 1 vernales citius per ſe finiuntur quam autumnales. 2 Iuniorum corpora febris naturae beneficio citius dimittit, cum horum humores blandiores eſſe conſueſcunt, tum quoniam ipſa molliora et humidiora ſunt, ideoque magis ad coquendum apta. 3 Si ſolitaria febris eſt, neque iuncta alteri cuidam ſive chronico ſive tempeſtatum morbo eſt. 4 Si poſt unamquamque trium primarum acceſſionum multus ſudor erumpit, isque acidum odorem ſpirat, et urina turbida ſequitur, quae ſedimentum lateri trito ſimile praecipitat. Iſtae febres aut per ſe finem accipiunt, aut adhibito remedio facile ſubmoventur. 5 Quorum in febribus talis ſudor erupit, et urina ita turbata eſt: ſi poſt quintam acceſſionem poſt intermiſſionis diem urina clara eſt, et ſubſidentiam habet, his proxima acceſſio non erit. 6 Quorum urina poſt unamquamque acceſſionem clare eſt cum ſubſidentia, et poſt quintam acceſſionem ſedimentum lateri trito ſimile praecipitat, hi iudicati ſunt. 7 Si tertia acceſſio fortior eſt prioribus et multum ſudorem expellit, et ſedimentum lateri trito ſimile praecipitat; ſpes eſt, fore ut quinta ſimilis ſit, et ſi talis ea ſit, febris finem habet. 8 Quorum urina ſedimentum album, leve et aequale praecipitat, hi et febre liberati ſunt, et nulli recidivae obnoxii.

Con-

Contrarium in ſenibus eſt. 1 Stricta enim et ſenum corpora minus idonea ad criſes ſunt, propterea quod minus apta ad coquendum ſunt. Ob talem utique cauſam, veluti ex HIPPOCRATIS ſcriptis colligimus, ſenes et atrabiliarii ut plurimum male iudicati fuerunt. Et quoniam his quartana magis familiaris eſſe conſueſcit, eandemque ob cauſam difficulter ſubmovetur, quartanae ipſi nomen longi morbi impertitum eſſe veriſimile eſt. 2 Qui mediis inter acceſſiones diebus non debiles ſunt, quaſi pridie non aegrotaſſent, ſine ſignis ſolutoriis, hi difficulter ſanantus, quoniam hi coctionem aut nullam habent, aut non continuam: debet enim coctio, ut bona ſit, continua eſſe. 3 Quorum urina mediis inter acceſſiones diebus tenuis transparens eſt, et nihil continet, hi febre difficilius liberantur, indicio enim eſt, materiam intus non concoqui. Non concoquitur aut ob corporis debilitatem aut propter ſiccitatem, aut propter convulſionem. 4 Quorum fomes, qui miasma ſebrile recepit, intus relinquitur, eorum febris aut inveteraſcit, aut non tolli poteſt.

Atque ad iſta medicus ante attendere debet, quam febrim ipſam medicamento aggrediatur. Poſt coctionem nempe vel poſt imperfectas criſes cortex peruvianus recte offertur, isque tunc cito iuvat, neque impoſterum quid mali aegro metuendum eſt. Eſt hoc iſtud febris tempus intra quod ea facile curationem a diverſis remediis admittit; ab amaris, ab extracto Chamaemeli, a diverſis corticibus: qui ſucceſſus ſuos authores fefellit, qui ſibi perſuadebant, quaſi inter indigenas plantas par cortici peruviano ſpecificum remedium inveniſſent. Ego ſaepe febrim intermittentem cum ea usque huc coctione pervenit, pulvere corticis radicis Symarubae, cuius grana decem ter per diem exhibui, perfecte ſubmovi.

Nihil-

Nihilominus cortex peruvianus iure praerogativam ſibi vindicat, eundemque maxime ſic do. Nempe medio inter acceſſiones tempore corticis peruviani pulveriſati ſcrupulum unum unaquaque hora exhibeo, praeſtatque minutas portiones ſaepius offerre, quae commodius et digeri in ventriculo poſſint et omnem virtutem edere, quam magnam ſimul copiam rarioribus intervallis ingerere, aut proxime ante ipſam acceſſionem duas drachmas (ut olim medici conſueverunt) affatim ingurgitare. Tanta enim portio ſimul et gravat et difficulter digeritur. Namque cortex peruvianus febrim ante non tollit, quam ipse digeſtus eſt; omnisque eius virtus in ipſum ſanguinem intravit.

Neque verum eſt, quod quidam putant, quaſi cortex peruvianus febrim, propterea quod ipſi ſtomacho medetur, excutiat: ſaepe enim materia chronica ſive fomes febris in ſtomacho non reſidet.

Quod ſi aeger pulverem nauſeet, poteſt is cum ſyrupo vel in electuarium vel in bolos cogi, aut cum aqua admiſto ſale tartari et vini ſpiritu decoqui; eidemque et odoris et ſaporis gratia Cinamomum adiici: dummodo iſtius quidem decocti tantum quot horis aſſumatur, quantum ex pulveris ſcrupulo habetur.

Vanum autem eſt, corticem peruvianum vel aqua vel vino infundere, talemque potui dare, ſic enim vix aliquid recte extrahitur. Neque praeſtat ſubtiliſſimus corticis pulvis paulo groſſiore: quoniam, quod facilius comminui et per anguſtius cribrum traiici poteſt, magis ex ligno inersque eſt. Ad illud autem magis attendendum eſt, ſincerus an cortex ſit? Porro abſurdum eſt dicere, corticem peruvianum in inteſtinorum plicis remanere, eademque vitiare. Is enim, poſteaquam omnem ſuam virtutem exuit, alvo emittitur, nullam poſt ſe noxam relinquens.

Ubi

Ubi ob breve intervallum, quemadmodum in quotidianis febribus, duae tantum corticis drachmae ſimiliter oblatae fuerint, non multum quidem ex febre minutum erit. Plus vero ſi latius inter acceſſiones ſpatium pateat, intra quod poſſint aut quatuor aut ſex drachmae unciave aſſumi et intus confici.

Quamvis neque et hoc perpetuum ſit. Nonnunquam enim, etiam poſt talem corticis doſin febris vehementius erumpit, indicioque eſt, poſtrema quod iſta acceſſio futura ſit.

Neque profecto minuta corticis portio ſufficit ſed debent ipſae febris reliquiae, quae corpori inhaerent, impoſterum expelli.

Cumque ſic magis ad bonam valetudinem proceſſum erit (quae potiſſimum poſt tres corticis uncias iuxta octavum decimumve diem contingere conſueſcit) debet nihilominus cortex peruvianus eadem ratione continuari, non numeratis impoſterum diebus.

Et quidem nunc ſurgere aeger poteſt; et carnem, propterea quod famem difficulter fert, vel vitulinam vel gallinaceam eſſe.

In his autem iterum cautione opus eſt: ſcilicet ut cibus ſaepe quidem at parvis portionibus accipiatur, quo facilius idem et digeri, et ne nimius aut ſtomachum gravet, aut inconfectus hominem iterum aegrum efficiat: praeterea ut omni quoque hora corticis ſcrupulus continuetur.

Deinde quo magis de bona valetudine conſtiterit, eo vehementius erit edendi deſiderium, usque dum edendo tantundem reſtitutum fuerit, quantum per febrim atque abſtinentiam amiſſum erat.

Atque intra iſtud praecipue convaleſcentiae tempus largum illud tenuis urinae profluvium, de quo ſupra memoravi, incipit, et aliquot deinde dies con-

ti-

tinuat; ſic omnem potus copiam longe ſuperet. Quod nonnulli Medicinae Profeſſores pro critico habebant. Non febris ipſius criſis iſtud urinae profluvium eſt; ſed aquae, quae per febrim intus retenta fuit: indicioque eſt, quod aeger contra Hydropem tutus ſit.

Ubi hucusque perventum erit, non ita multo cortice impoſterum opus eſt; ſed per bihorium ſcrupulus dari debet, et poteſt etiam vinum absque aqua, ſi ita bibere ſanus conſueverat, concedi.

Cumque ſic magis ad integritatem proceſſum eſt, redit prior faciei flos decorque; firmantur vires, conſuetum laborem homo et libenter ſuſcipit et magis ſuſtinet: urinam quemadmodum ſanus emittit, non amplius, quam quae potui reſpondet. Nihilominus nondum omnino tuta valetudo eſt.

Quare adhuc continentia opus eſt, neque niſi vitulina atque gallinacea carne veſci licet; atque tertia quaque hora corticis ſcrupulum aſſumere expedit; idque per octiduum.

Deinde bubulam eſſe, et corticis ſcrupulum quarta hora ex octiduo: denique tres quotidie ſcrupulos; tandem duos, poſtremo unum, ſemper ad unumquemque ordinem ſeptimanam integram trahendo; ſic ut vel octo vel decem vel duodecim ſeptimanae cortice expleantur, intra quas id, quod ex febre corpori inhaeret, expelli poſſit. Alii altera ſeptimana corticem intermittunt, altera dant; ſicque aliquot menſes continuant. Alii etiam per annum. Neque multum corticis nocet, ſed parum non iuvat.

Non alienum quoque erit, febrim intermittentem, etiam quae naturae beneficio deceſſit, impoſterum cortice peruviano perſequi, niſi bona valetudo ex integro conſtiterit. *Poteſt enim morbus, etiam qui per ſe finem habiturus eſt, citius tamen adhibito auxilio tolli, quod duabus de cauſis neceſſarium eſt: et ut quam pri-*

primum bona valetudo contingat, et ne morbus, qui remanet, iterum, quamvis levi de cauſa, exaſperetur k).

Et poſtea etiam quaeritur, finita febre an alvum pharmaco ducere conveniat? Quod aliqui volunt; ſcilicet ut, ſi quid noxii intus in corpore remanſiſſet, idem ducendo alvum omne ſubtrahitur. Id alii iure ut perniciosum repudiant: veluti proximo capite ponam.

CAPUT VI.

Ob quam cauſam febris nonnunquam difficulter ſuperetur, et cur eadem ſaepe revertatur?

Nonnunquam febris difficulter, etiam cum adhibito auxilio ſecedit; aut, quae deceſſit, iterum revertitur.

Id vel Medici vel aegri culpa contingit. Primo de eo dicam, quod ad Medicos pertinet, deinde ad aegros veniam.

Ob id autem antiquiores quidem ideo reprehendendi non ſunt; quoniam, cum imbecilla remedia haberent, febres aut difficulter ſubmoverunt, aut necquicquam potuerunt. Propter quem auxilii defectum utique quotidiana, veluti GALENUS memoravit; ſaepe 60 circuitus habebat, et periculoſa erat; quartana autem Medicorum ſcandalum appellata eſt.

At ubi febris, etiam cum cortice peruviano vel pertinaciter reſtitit, vel poſteaquam deſiit, facile reverſa eſt, multi ex poſterioribus Medicis curae vitium in cortice quaeſiverunt, quod ipſorum propria culpa contigit, utique qui iſto auxilio non recte uſi fuere.

Inde

k) *CELSUS Lib. II. Cap. III.*

Inde ortae diverſae hominum ſententiae ſunt, ex quibus alii ſibi perſuadebant, quaſi cortex peruvianus febrim ipſam non omnino excuteret, ſed aliquantum ex ea intus relinqueret, ex quo nova iterum reſurgat. Alii febrim ex vitiato ſtomacho eſſe volebant; quem, quoniam cortex peruvianus emendat, eum ipſi febri mederi ſtatuebant. Alii adſtringere corticem perque eum figi ad tempus quidem febris cauſam, at non expelli eandem. Rurſum alii febres cortice ſubmoveri concedebant; attamen metuebant, ne auxilium gravem aliquam noxam homini relinquat, seu duros viſcerum tumores, hydropemve. Ideoque diverſa pharmaca ipſi cortici adiecere, per quae ne noceat, efficere poſſent. Utique operam dederunt, ut per artem corrumpant, quod natura perfecerat.

Id vanum eſt: nulla enim in cortice peruviano noxa eſt, et poteſt iſte ab unoquoque tuto aſſumi, rectiusque ſolus offertur.

Iterum alii ſolum quidem corticem aegris, at non ſatis exhibent, propterea quod timent, ne nimius noceat, ipſaque aegri viſcera corrumpat.

Verum hi male metuunt: iſta enim vitia, quae talem curationem ſequuntur, non ab ipſo cortice proveniunt; ſed ob id, quod idem non recte adhibitus eſt. *Quae profuerunt, ob rectum uſum profuerunt, quae autem nocuerunt, ob id, quod non recte uſurpata ſunt, nocuerunt l*). In eo enim vitio reſidet, quod corticem non poſt coctionem materiae, ſed intra cruditatem exhibuerint.

Alii initio quidem curationis multum corticem offerunt, deinde vero ubi proxima acceſſio deſiit, etiam ab ipſo auxilio deſiſtunt. Atque talis erat primis poſt inventum corticem annis curandi methodus, quam

l) *HIPP. Lib. de arte Nro. 7.*

quam hodie Vulgus adhuc ſequitur. Verum ſic febris, quoniam aliquid ex ea intus in corpore remanſit, quam proxime revertitur. Ob quem curationis defectum utique Medicorum multis viſum eſt; quaſi cortex peruvianus non tam excuteret febrim, quam quidem eandem ad tempus ſupprimeret.

Igitur febrim, etſi finem habeat, diu perſequi ipſumque corticem in longum usque tempus continuare expedit: Scilicet quo morbi reliquiae, quae corpori inhaerent, omnes expellantur. Nam *quibus intus relinquuntur, certiſſimae recidivae et celerrimae* m). Et profecto in hoc omnis curationis cardo vertitur.

Deinde alii etiam non plebeii Medici, febri cum medentur, medicamenta purgantia ipſi cortici vel admiſcent, vel poſt ſex ſeptimanas, quo tempore expunctam febrim eſſe putant, ſubiiciunt, ſcilicet ut per ea, ſi quid noxii fortaſſis intus a cortice remanſiſſet, idem ducendo alvum omne ſubtraherent.

At quod mala iſta curatio ſit, experientia ſatis ſuperque docuit; propterea quod per eam febris, quae per corticem finem habitura eſſet, purgante pharmaco exaſperatur; et ea, quae deſiit, iterum revocatur. Similiter etiam Syndenham n) obſervavit, *leviſſima catharſi imo enemate lacte et ſacharo febris recidivam imminere, eandemque ſi non ſatis ceſſavit, purgante redire contumaciorem* o), *aut pertinaciorem reddi, atque altas magis radices figere* p), *quin hydropicos fieri, quibus febre intermittente laborantibus alvus pharmaco ſaepe ſubducitur.*

Sic enim febris ſaepe revertendo diu trahit, et inve-

m) HIPP. *de morb. pop. Lib. II. Sect. 2. Lib. VI. Sect. 2. et 3.*
n) *Epiſt. I. reſponſoria.*
o) *Sect. I. Capite 5.*
p) *Ibidem.*

inveteraſcit; ex qua mora omnia iſta vitia proveniunt, quae longas febres ſequi conſueſcunt. Quemadmodum inferiore libro III dicam.

Quare, ubi in ipſo curationis principio ſatis purgatum eſt, atque ex his, quae deſcenderunt, cognitum erit, nihil impuri intus remanſiſſe, ſtatim poſt ſigna coctionis cortice occurri debet. Et ſi quidem ex eo alvus (quemadmodum nonnunquam contingit) laxa eveniat; ea protinus adſtringenda eſt vel narcotico quodam remedio vel ſymarubae pulvere.

Nullam vero in cortice peruviano noxam eſſe et fuſius infra dicetur, et nunc ponam.

AEGROTUS XIV. Initio aeſtatis anni 1750 vir 40 annos natus febre intermittente tertiana cum affectu ſoporoſo laborabat, a qua convaluiſſe videbatur, poſteaquam corticem peruvianum 20 dies aſſumſerat.

At reverſa ſaepe febris, ſaepe iterum per corticem ſuppreſſa eſt; neque ex toto deſiit. Utique quoniam nec ſatis corticis nec idem ſatis continenter datus eſt.

Quare aeger, propterea quod ex recidiva lethargum metuebat, excitato prius vomitu corticem peruvianum integro anni ſpatio continuavit: ſic tamen ut primis quidem diebus multum ex eo, deinde vero quo magis ad anni finem proceſſum eſt, eo quotidie minus aſſumſerit. Quam curandi rationem ſecuta praeſtans valetudo eſt, ipſumque corpus magis quam ante febrim firmum omninoque tororſum evenit.

Ut autem noxium eſt, alvum inter febrium acceſſiones aut proxime poſt easdem iuſto plus purgare, ita malum eſt, nullum neque purgans neque vomitorium remedium ante curationem dediſſe, ſi impura in imo ventre colluvies febris fomes eſt, cum

quo miasma convenit; ut tertiana potiſſimum ex vitiata bile poſt fervidam tempeſtatem. Tales namque cortex peruvianus non vincit, isque in impuro corpore, etiam cum multus aſſumitur, non iuvat. Et ſiquidem nonnunquam aliquae acceſſiones poſt multum corticem emanſerunt, nihilominus proximae revertuntur, iterumque ſuppreſſae iterum reſurgunt.

Imo talem ob cauſam cortex peruvianus nonnunquam febrim, etiam cum exhibitum unum ſive purgans ſive vomitorium remedium fuerit, necquicquam movit; propterea quod multae adhuc impurae reliquiae intus remanſerunt. Remanſiſſe autem maxime per haec noſſe licet: ſi aeger etiam poſt multum corticem peruvianum nihilominus per infirmus adhuc ſit; ſi cibos vehementer nauſeet; ſi os amarum habeat, et faciei cutim flavam, ſi urinam iumentorum urinae ſimilem emittat; maximeque ſi poſt duas aut tres corticis uncias (tanquam a quibus febris deſiſtere conſueſcit) nihilominus febre aut non omnino aut necquicquam careat.

Huic ante omnia purgantibus auxiliis ſuccurrendum eſt, donec ex toto purus ſit.

Et ex eo ſaepe evenit, ut febris, quae cum multo cortice peruviano finem habere non poterat, deinde poſteaquam corpus bene purgatum eſt, impoſterum per ſe omnis deſierit, ſecutaque ex toto integritas ſit. Idque vulgare eſt.

Nonnunquam impura iſta colluvies naturae beneficio infra ſecedit, aut ipſe cortex peruvianus eandem expellit. Quod quemadmodum in diverſis aliis aegrotationibus accidiſſe diximus, ita iuxta febres intermittentes aliquando contingit: utique amara quaevis, ut ipſe cortex peruvianus, putrida, quae in infimo ventre reſident, movent, atque expellunt.

AEGROTUS XV. Vir 45 annorum febre inter-

termittente tertiana laborabat, et cum medicamento emetico purgatus fuiſſet, corticem peruvianum aſſumſit.

Manſit nihilominus febris etiam poſt tres corticis uncias.

Ortum deinde largum alvi profluvium eſt, vomitusque; per quae multa impura ſupra infraque octiduum excuſſa ſunt.

Etiam poſt haec febris continuavit.

Quare quoniam ex his iudicabam, multa intus impura ſupereſſe, rurſus medicamentum vomitorium praeſtiti: quod, ut multam bilem eiecit, febrim ex toto finivit.

Talis autem febris etiam cum adhibito multo cortice ideo remanſit, quoniam eius fomes intus ſupererat. Excuſſo vero fomite deſiit, vel quoniam miasma materia caruit, cui iungeretur, vel quoniam corticis peruviani virtus, quae antea fruſtra in ſanguinem intraverat, nunc ſine impedimento in eodem agere incepit.

Atque ad illud quidem, quoniam id magni in febrium curationibus momenti eſt, bene attendi debet.

Deinde etiam ciborum ratio habenda eſt. Scilicet ob quos, ſi non ſatis continentur aegri, febris et difficulter ſubigitur, et ſubacta iterum reſurgit: ſaepe enim cibus, etiam qui ſanis confert, aegros offendit. Verumque eſt, quod olim HIPPOCRATES dixit q): *ſi quis febricitanti cibum det, quem ſano exhibet, ſano equidem robur, aegroto vero morbus eſt*. Quare neque ova neque carnes inclinata (ut quidam volunt) febre, aut ubi eius quaedam adhuc reliquiae corpori inhaerent, concedi debent; ſed expectandum eſt, do-

q) *Lib. Aphor. Sect. VI. aphor. 65. et alibi.*

nec maior in corpore integritas ſit: tutius enim talia offeruntur poſt largum illud tenuis urinae profluvium, quod ut ſupra memoravimus, indicio eſt, quam plurimum ex febre excuſſum eſſe. *Diaetetices maximum eſt, obſervare ac cavere, uti in acutis, ſic et in longis morbis et febrium intenſiones et remiſſiones, ut tempora caveantur, quibus non oportet cibos offerre, et cognoſcantur quando tuto offerrendi ſunt: uti etiam quando plurimum ab intenſione abſuerint* r).

Poſtremo etiam de venae ſectione inter auctores diſputatur: ex quibus alii iuvare curationem aſſerunt, alii nocere, quaſi per eam febris aut difficulter medelam admittat, aut ea, quae deſiit, facile revertatur. In his autem nihil perpetuum eſt; ſed prout diverſae cauſae occurrunt, diverſa etiam de venae ſectione ratio habenda eſt. Poteſt enim ea alios aegros offendere; alios non laedere.

Convenit, ſi corpus ſanguine abundat, et calor exſuperat; ſi acceſſiones confunduntur, ſic ut in calore continuent; aut alius quidem corporis affectus intervenit, qui venae ſectionem requirat. In his enim cortex peruvianus poſtea ſimiliter profecit, ac ſi vena ante ſecta non fuiſſet.

Nocet inclinata iam febre, aut ubi plurimum ex ea imminutum eſt, aut aliquae adhuc eius reliquiae corpori inhaerent: ſub hoc enim exitu, ſi ſanguis e vena mittitur, febris iterum exaſperatur, et ea, quae deceſſit, revertitur. Saepe enim mulieres, e quarum pede, propterea quod menſes defecerunt, extractus aliquandiu poſt febrim ſanguis eſt, iterum in febrim relapſas fuiſſe vidi. Ob quam utique rationem Sydenhamus venae ſectionem, febris ubi intermittens eſt, damnavit s).

Sed

r) *HIPP. de victu morb. acut.*
s) *Sect. I. Capit. 5.*

Sed cur venae ſectio, ſcilicet a qua in diverſis aliis febrium ſpeciebus praeſidium habetur, contraria febri intermittenti eſt? an propter defectum ſanguinis? utique, quoniam venae ſectio fomitem non demit, et naturam ad coquendum ineptam efficit. Ita fere perſuadet proxima morbi hiſtoria.

AEGROTUS XVI. Virgo 36 annorum initio aeſtatis anni 1752 febre intermittente quotidiana laborabat, a qua poſt purgantia remedia et corticem peruvianum evenerat: et per tempus aliquod morbi expers manſit, ad proximum uſque ſanguinis menſtrui fluxum: at quo tempore is erupit, etiam febris reverſa eſt; ſicque per menſes aliquot. Donec poſt multum continuoque adhibitum corticem febris duos menſes deſiiſſet.

Deinde Medicus venam ſecari iuſſit; propterea quod ſibi perſuadebat, quaſi aegra ſanguine abundaret. Miſſo autem ſanguine febris eodem die reverſa eſt.

Quare ex meo conſilio aegra primo medicamentum vomitorium, poſt, corticem peruvianum per multos impoſterum menſes cum pertinacia continuavit, quae quidem medicina effecit, ut febris, etſi ea quot menſibus cum ipſo ſanguinis fluxu reverſa fuiſſet, nihilominus mitior atque mitior evenerit, donec poſt duos menſes omnino expuncta fuerit.

An ideo ſecundum HIPPOCRATEM *quibus in febribus quartanis ſanguis e naribus fluxerit, malum eſt* t), quoniam ob ſanguinis iacturam febris, quae per ſe olim curatu difficilis erat, corpori diutius inhaerendo, noxam eidem reliquit?

Sed nonnunquam etiam ipſa venae ſectio, ſi vel ſub expectatione proximae acceſſionis, vel quo tem-

t) *Aphor. 5. Sect. 8.*

pore aeger febre inhorreſcit, inſtituta fuit, ſecundam valetudinem praeſtitit. Narratum enim accepi a viris fide dignis, quorum alter 70, alter 75 annorum erat, ſe poſteaquam in puerili aetate febre intermittente diutius laboraverant, ſubito ut ſecta in ipſa acceſſione medioque frigore vena fuiſſet, perſanatos fuiſſe: neque (quod maxime mirum videri poteſt) poſt hoc ipſum frigus incaluiſſe ſe; ſed deletam protinus et quaſi cum ipſo ſanguine extus fuſam fuiſſe febrim. Neque impoſterum quapiam febre intermittente ad longam hucuſque ſenectutem laboraſſe ſe, donec alterum ex his, cum annum 73 ageret, febris tertiana prehendiſſet, quam cortice peruviano facile ſubmovit.

Refert quoque LAZARUS RIVERIUS *u*) mulierem gravidam ſeptimeſtrem ſubito a febre intermittente tertiana, qua menſis ſpatio fruſtra adhibitis et venae ſectionibus et medicamentis laboraverat, liberatam omnino fuiſſe, cum una ante proximam febris acceſſionem hora ſecta vena fuiſſet. Auctor novus obſervationum communicatarum *x*) febrim tertianam duplicem protinus extinctam fuiſſe vidit, cum aegri viri vena inſtante paroxyſmo ſecta fuiſſet. Ibidemque *y*) dicitur empiricus febrim tertianam iugulaſſe, cum in ipſo acceſſionis principio venam ſecaſſet. Idem Sydenham vidiſſe credibile eſt, qui venae ſectionem febre intermittente laborantibus ſemper nocuiſſe aſſerit, *niſi eodem ictu chirurgi gladiolus, quo venam pertundit, ipſam etiam febrim confodiat* *z*).

Caeterum, magis ad rem pertinet, ſcire, febresne ſolae ſint, an alia his quoque mala accedant: id eſt, num cum multo ſanguine calor urgeat, an in ali-

u) *Obſervat. centur. IV. obſervat.* 72.
x) *Ibidem cent. IV. obſerv.* 83. §. 7.
y) *Decerpt. obſervat.* 5.
z) *Sect. I. Cap.* 5.

aliqua corporis parte inflammatio ſubſit, ceu Pleuritis, Peripneumoniave aut alius quiſpiam malus morbus intervenerit, qui venae ſectionem exigat, contra vero noxiam fore venae ſectionem puto, quae mediis inter acceſſiones diebus, aut ubi multum ex febre iam minutum eſt, inſtituitur, quoniam ex ea peior febris fit. Supervacaneum autem eſſe intra ipſum febris aeſtum, quae ſine alio quopiam vitio eſt, ſanguinem e vena mittere, quoniam id neque adiuvat curationem, neque febrim repellit: ſed fortaſſis coctionem turbat.

Atque hae quidem praecipue cauſſae ſunt, propter quas et febris difficulter ſubmovetur, et facile revertitur, et ſaepe perniciosa evenit, et ipſe quoque cortex peruvianus non vulgo tantum ſed et multis medicis male audit; ſcilicet qui omnia iſta vitia in corticem peruvianum coniiciunt, quae propria ipſorum culpa contingunt. Nam qui ita cum aſſumto cortice peruviano male habebant, eos idem cortex, ſi recte adhibetur, reſtituit.

CAPUT VII.

De recidivarum febrium ordine.

Superiore capite cauſas dixi, propter quas febris intermittens et difficulter ſubmovetur; et ſaepe revertitur; hoc proponam, in quem diem ea, ſi revenit, incidat.

Obſervavit olim SYDENHAM recidivas febres eundem diem ſervare, in quem, ſi absque adhibito auxilio continuaſſent, incidiſſent: potiſſimum, quae proxime poſt curationem revertuntur. Ob quam cauſam ut CELSUS *a*) monuit, *ſi febris quievit, diu*

 me-

a) *Lib. III. Capite 16.*

meminiſſe eius diei convenit, eoque vitare frigus, calorem, cruditatem, laſſitudinem. Facile enim revertitur, niſi a ſano quoque aliquamdiu timetur. Id vulgare eſt, maximeque ſi febrim inter et recidivam breve ſpatium diſtabat. At poſt longum temporis intervallum, intra quod conſtituta perfecta valetudo eſſe poſſet, febrim in certum diem incidere magis mirum eſt. Quod saepe obſervavi; et poteſt id unuſquiſque experiri, qui febrium dies notabit, et numerare continuabit. Ita VAN SWITEN *b*) virum vidit, *qui in febrim quartanam recidit, qua quinque menſium ſpatio liber et bene antea ſanus fuerat*. Id fit, ſi febris cortice ante ſupprimitur, quam eius fomes coctus ſit. Quod ſi vero autumnalis febris recte deſiit, et ea nihilominus proximo vere revertitur, ipſa, ut ſupra monui, poſt quinque circuitus ex toto finire conſueſcit, neque revertitur.

AEGROTUS XVII. Ego longiora inter recidivas intervalla notavi. Iuvenis 27 annorum die 4 Auguſti anni 1749 in febrim intermittentem tertianam incidit; quam vomitu et cortice peruviano ad novem uſque menſes propulit. Recidit in eandem die 23 Aprilis anni 1750, quam item vomitu atque cortice quam longiſſime profligavit. Relapſus iterum die 15 Iulii 1751. in eandem febrim eſt, poſtquam impoſterum tutus manſit.

Numeratis autem per omnes iſtos annos diebus compertum erit, incidiſſe iſtas febres in certos illos dies, quos acceſſiones, ſi continuaſſent, habiturae fuiſſent: et (quod magis mirum videtur) in eandem ſemper horam, undecimam ſcilicet veſpertinam.

AEGROTUS XVIII. Vir 50 annorum initio menſis Septembris anni 1750 febrim intermittentem ter-

b) *Comment. In Boerhave aph.* 757.

tertianam habebat, a qua poſt adhibitum corticem peruvianum liber manſit octo menſium ſpatio. Deinde vero ſub finem menſis Aprilis anni 1751 in eandem hoc ipſo die recidit, quo febris acceſſiſſet, ſi medio interea tempore eadem continuaſſet.

AEGROTUS XIX. Virginem 60 annos natam febris intermittens tertiana die prima Octobris anni 1751 prehendit. Inde liberata eſt corticis peruviani auxilio, et novem poſtea menſes ſana manſit. Recidit in eandem febrim die 1. Iulii anni 1752 poſt eandemque optime habuit, octo iterum menſium ſpatio.

Reverſa iterum die 4 Martii et die 13 Aprilis, et 5 Maii anni 1753 eadem febris eſt: alteraque ex iſtis recidivis verſa in continuam eſt.

AEGROTUS XX. Vir annos 40. natus Viennae auſtriacae die 14. Iulii anni 1750 hora 5 veſpertina febre intermittente tertiana laborabat, indeque ex cortice peruviano ſanatus Hannoveram profectus eſt, in quo loco aliquamdiu commoratus eſt, abhinc Moguntiam venit bona cum valetudine.

Anno deinde 1753 die 5 Auguſti hic Moguntiae in eandem tertianam eodemque die eademque hora, quinta nempe veſpertina incidit, quae tempora febris ſervaſſet, ſi ſuum ea accedendi ordinem non interrupta continuaſſet.

Mirum profecto eſt, quod neque longum temporis intervallum, neque lata locorum diſtantia, neque coeli diverſitas iſtius quidem febris ſive ordinem, ſive diem, ſive horam mutaverit. Adeo enim diu poteſt materia chronica cruda in corpore latere, donec miasma iterum admittat, cum eodemque unita febrim efficiat.

Nonne per talia exempla ad credendum deducimur, quaſi ſuum quaeque febris privatum fomitem habeat? ſic, ut idem miaſma cum alio fomite quoti-

dia-

dianam, cum alio tertianam, quartanam cum alio efficiat; mutari vero febrium acceſſiones et in alium circuitum ordinari, ſic ut ex quartana quotidiana, ex quotidiana tertiana et viceverſa fiat; quoties idem miasma in alium atque alium fomitem incidat. Mutari autem ita ipſum fomitem poſſe ſive per eius materiae tranſpoſitionem, ſive per peccata in diaetam ſive per vitia, quae febris ipſa inveterando corporis humoribus intulit. Quomodo autem corpus ipſum per eandem febrim vitiari poſſit, libro tertio dicetur.

Caeterum non vehementer frugi iſta recidivarum contemplatio eſt: attamen utilis eſſe poterit, ubi de morbo, qui incipit, dubitatur, iſne febris intermittens, an quidam alius futurus ſit. In his enim numerare dies oportet, et videre num in diem, qui uni ex prioribus febrium acceſſionibus reſpondet, morbi initium aut exacerbatio cadat. Quod ſi ita inciderit, coniectura erit, febrim, quae incepit, intermittentem fore.

Quae vero febris ex toto expuncta eſt, eam nulla recidiva ſequitur.

Denique quantum corticis ſatis ſit, ad febrim omnino excutiendam, illud certo circumſcribi pondere non poteſt. Debet enim eius modo plus, poteſt etiam modo minus offerri; prout ſive febris ipſa, ſive aegri aetas, ſive vitae genus, ſive anni tempus erit: maximeque prout fomes vel plus, vel minus coctus fuit, aut criſes perfectas imperfectasve morbus habuit. Eſt enim vero maxime ſimile, recidivas ex eo provenire, quod intus a morbo remanſit; illudque omnino minimum ſaepe eſſe, propterea quod multos nonnunquam menſes ſine noxa ante lateat, quam incrementum accipit, quod poſſit recidivam efficere. Duriſſimum item eſſe talem febris fomitem, ut quem neque mutare valent corporis exercitationes vaſorumque atque hu-

mo-

morum omnium motus, neque longum temporis intervallum ita benignum eum reddere, ut recidivam non ſuſcitet.

Ob quam cauſam febris fomitem ante coqui volo, poſtque febrim ipſam multo cortice quam diutiſſime proſequor. Et fuerunt, qui me conſule iſtam medicinam ſex, etiam octo menſes, imo integrum annum continuarunt. Neque ſic unquam multus cortex ullam noxam corpori reliquit: neque verum eſt, quod poſt SYDENHAMUM *c*) BOERHAAVIUS *d*) credidit, quaſi a multo cortice peruviano ſcorbutus fieret.

Quem vero exitum e corpore coctus ipſe febris fomes ſumat, et quomodo tunc ipſum miasma iners eveniat, partim ſuperiore capite quarto dixi, partim in fine ultimi libri ponam; nunc ad accidentia deſcendo.

CAPUT VIII.

Mulier gravida, ſi febre intermittente laboret, quomodo curari debeat.

Gravidis mulieribus, ſi febre tentantur, citius adhibito auxilio ſuccurri debet: ſcilicet, *quibus tanto magis omnis obſervatio neceſſaria eſt, quanto magis obnoxia offenſis infirmitas eſt e*). Quod duabus potiſſimum de cauſis neceſſarium eſt; et ut quam primum bona valetudo contingat, et ne morbus prolem ipſam praecipitet.

Mulieres enim gravidae, quae per ſe ſatis pronae ad vomendum ſunt, magis adhuc propter febrim vo-

c) *Sect. II. cap.* 5.
d) *De cognos. et curand. morb. aphor.* 1150.
e) *A. C. CELSUS Lib. I. in praefat.*

vomitu vexantur, obque eum poſſunt cum pleno ventre facile herniam accipere; poſſunt abortum facere, etiam quae abortire non conſueverunt: poſſunt magnam ſanguinis ex utero iacturam pati, perque eam foetum ante rectum tempus excutere, maximeque ubi tales matres ſanguine abundant. Et ſiquidem propterea abortum faciunt, is magis in ipſam febrim quam in medios inter acceſſiones dies incidit. Quod ſi vero earum febris etiam ad poſtremum usque partus terminum tuto trahatur, aut in ipſum partum incidat, aut proxime poſt partum incipiat, poſſent nihilominus ob eam et ſanguis et lochia, quae liberaliter fluere deberent, intus retineri, et ſive uterum ſive cerebrum inflammare. Ipſa vero proles, ubi ob iſtas cauſas citius excluditur, proxime aut extinguitur, aut ſi ſupervivat, aerumnoſae valetudinis manebit, aut morbum ipſum a matre accipiet. Ita alia proles totam corporis ſuperficiem rubram, cancri cocti inſtar habuit; alia univerſam cutim macerātam et veluti ex ferventi aqua aduſtam, alia ſimiliter febrim intermittentem. Atque ſolent iſtae quidem febres magis eodem die eademque hora matrem ſimul et prolem prehendere, nonnunquam etiam diverſis temporibus accedere; ſic ut uno die mater, altero proles aegrotet.

Quare expedit protinus adhibito auxilio occurrere; cum ut morbus, qui eſt, cito tollatur; tum, ne novum aliquod vitium eidem ſuperveniat: in mora enim periculum eſt. Ob quas rationes multus cortex peruvianus mediis inter acceſſiones diebus mulieri dari et deinde poſt excuſſam febrim diu offerri debet.

Neque refert, ſi periculum urget, alvus pharmaco purgata ante fuerit, nec ne: quod, ſi fieri poteſt, purgato, et febrim ſubmoveto: ſin minus febrim ipſam ante purgationem ſubigito, et exſpectato, donec mulier pepererit et lochia ſatis fluxerint. Rectius

au-

autem exercitatus Medicus intervallo uti noſcit, intra quod cum utilitate purget. Atque ita poteſt idem auxilium duos, matris nempe et foetus in utero, morbos ſubmovere.

Et profecto eſt cortex peruvianus omnium optimum auxilium, tam ad perſanandam matrem, quam ad ipſum foetum roborandum confirmandumque, veluti protinus narrabo.

AEGROTUS XXI. Anno 1749 die decima Auguſti, mulier 33 annorum et ſpongioſi corporis habitus, cum quarta vice gravida fuiſſet, febre intermittente modo tertiana, modo quartana laborabat, quae corporis vires vehementer contriverat.

Poſt, ubi ſex corticis peruviani uncias aſſumſerat, proſpere valuit, et partum iuſto tempore facile et fere ſine labore emiſit, cui ad priores edendos chirurgi auxilio opus fuerat. Simul erat iſta quidem proles et corpore maior prioribus et viribus firmior atque hilarioris animi.

AEGROTUS XXII. Anno 1749 die 30 Novembris mulier 35 annorum, ſpongioſi corporis habitus, et quae ante ſeptem annos ultimo pepererat, inordinatam febrim intermittentem habuit, cum ſumma corporis debilitate, vomendi deſiderio, acuto capitis dolore, atque extrema ciborum nauſea.

Huic nulla quidem de graviditate ſuſpicio erat, donec poſt quinque menſes ita per vitam foetus conſtitiſſet.

Haec adepta bona valetudine corticem peruvianum tres menſes continuavit, deindeque ad exitum noni menſis prolem ſanam fortemque, multo minore quidem ac ſolebat cum labore, enixa eſt.

AEGROTUS XXIII. Anno 1750 die 27 Aprilis mulierem praepinguem annos 26. natam cum ad nonum graviditatis menſem perveniſſet, febris intermit-

mittens tertiana, exque ea Icterus prehendit. Acceſſere ventris tormina, magis adhuc vehementia ubi intenta febris eſt; ob quae metuendus abortus erat.

Huic protinus multo cortice obveni ad graviditatis exitum uſque, ita reſtituta mulier prolem perſanam et minori quam caeteras cum labore emiſit.

AEGROTUS XXIV. Similiter mulier gracilis et gravida a febre intermittente per corticem revenit; deindeque iuſto temporis termino puerum ſanum vegetumque peperit.

CAPUT IX.

Si nutrix febre intermittente tentetur.

Minus quidem nutricibus quam gravidis mulieribus perniciosa febris intermittens eſt. Nihilominus etiam his omni cura opus eſt; nempe et ne lac amittant, et ne per id, ſi conſervent, ipſi alumno febrim inſtillent.

Sepe enim ob febrim ubera concidunt; nec niſi tenue ſerum continent; ſaepe etiam omnino emarceſcunt; nonnunquam lactis ſatis ſervant.

Si lactis ſatis manet, poterit per id alumnus febrim ſugendo accipere; et ſimili, quo nutrix ipſa, tempore acceſſiones habere: aut iiſdem quidem acceſſionibus at diverſo tamen tempore tentari; aut denique diverſa febre laborare, veluti alumnus tertiana, nutrix quartana, et viceverſa. Nonnullos tale lac necquicquam offendit, idque perrarum eſt. Vix enim alumnus ex aegra nutrice lac impune ſugit.

Minus autem alumnorum imbecilla quam adultorum robuſta corpora febrim ſuſtinent; tum quo-

niam

niam magis obnoxia imbecillis quaeque offenſio eſt, tum quoniam amarum auxilium corticem reſpuunt, obque id febris ipſa inveteraſcit, et per moram ad hydropem trahit: qui item medelam difficulter admittit, propterea quod longam curationem requirit, quam vix tales infantes omnino exequuntur. Ob quam cauſam multi ex his conteruntur.

Quare alumnus, ut nutrix febre intermittente laborare incipit, protinus demi, atque alicui alteri ſanae mulieri dari debet; ne febrim ab aegra nutrice accipiat, aut ſi ſatis aetate provenerit, omnino ablactari; quod ſi autem lactando opus eſſet, debet ipſa nutrix adhibito cortice peruviano ante curari, quam ſuum alumnum iterum recipere. Quamvis neque et iſta ſeveritate opus ſit: poteſt enim poſt ſuppreſſas duas aut tres acceſſiones alumnus eidem ſuae nutrici tuto reddi; modo attendatur, ut nutrix multum corticem peruvianum, etiam fugata febre, impoſterum aſſumere continuet. Sic enim aliqua medicinae portio trans nutricem, quam ſimul integram efficit, cum lacte in alumnum ibit, eundemque tutum praeſtabit. Ad id autem opportunum tempus erit, ubera, quae ex morbo tenue ſerum ante habebant, ubi ſincero iterum lacte abundant; aut quo tempore ſi nihil ex lacte ita amiſſum fuerit, excreta iamiam multa tenuis urina eſt: ſcilicet per quam, ut ſupra memoravimus, ſcire licet, quam plurimum ex febre minutum eſſe,

At ſi alumnus febrim ipſam a nutrice iam ſuſcepiſſet; debet is ſuae nutricis ubera, ſi lac habeant, ſugere; ſimul et ipſa nutrix cortice peruviano curari. Sic enim alumnus ex amaro cortice ſuavem medicinam trans ubera accipit; quod ſae-

pe

pe profecit. Quae res, ſi forte non ſuccedat, debet ipſe cortex ipſi infanti offerri.

Quo vero auxilio lac, ſi deficiat, revocari, aut puerperarum lochia, ſi a febre intus retenta fuerint, vel excitari vel promoveri queant, infra Libro III. capite VI. fuſius ponam.

OB-

Finis Libri I.



OBSERVATIONUM MEDICINALIUM DE FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS

LIBER II.

CAPUT I.

Acutus dolor capitis, ſi febris intermittens eſt.

Nunc ad eas febres veniam, quae incertae ſunt, et ſub mendaci alterius cuiuſpiam affectionis larva latent; ob quam et difficulter cognoſcuntur, et poſſunt Medicum facile fallere.

Hae quoniam magna et communia ordinatae febris ſigna non retinent, debent per paucas et parvas notas diiudicari, ſaepe per tales, quae nullius fere momenti eſſe videntur. Aliam enim ex hoc, aliam ex illo ſigno, aliam quoque ex ſingulari aliquo indicio dignoſces: quemadmodum unamquamque ſuo loco ponam.

Primo de ea dicam, quae eſt in partibus, deinde ad illam deſcendam, quae in totis corpo-

ribus eſt. Orſus ab hac, quae ſolum caput occupat.

Haec vel totum caput, vel aliquam eius partem prehendit, et caeterum corpus liberum relinquit, inque eo loco vehementem dolorem excitat. Cum iſto dolore alii non frigent, non calent, non ſudant, cibos non nauſeant, urinam quidem rubram at ſine ſedimento emittunt: alii calorem, ſitim, deinde ſudorem, ſordidas fauces nauſeamque habent, atque urinam craſſam, quae ſedimentum lateri trito ſimile praecipitat, reddunt. Dolor ipſe per certos circuitus, ut quaeque febris intermittens modo occupat, modo iterum dimittit, eum dolorem cortice peruviano medicare convenit. At ubi idem certa acceſſionum tempora non ſervat, ſed modo breviora, modo longiora ſpatia intermittit; debet utique per ſudorem, per urinae ſedimentum perque caeteras notas diſtingui, per quas febrim ipſam noſci poſſe ſupra diximus.

Talem febrim VAN SWIETEN topicam appellavit *f*), et ipſa non infrequens eſt. Veroque maxime ſimile eſt, eam aliquando per conſenſum eſſe, quando corrupta bilis in ventriculo reſidet: aliquando etiam ſine tali bile, ubi materia chronica ſive fomes uni tantum capitis pari ineſt, in qua miaſma febrile cum fomite convenit.

AEGROTUS XXV. Anno 1748 menſe Iunio Virgo 36 annorum acutum in ſiniſtra capitis parte dolorem habuit, qui hora nona matutina incepit, et poſt quartam veſpertinam deſiit, ſicque per certos circuitus. Mediis inter acceſſiones temporibus requies erat, et noctu ſomnus.

Intra iſtum dolorem ſiniſter oculus multum protuberabat, cum rubore et lacrymis. Arteria autem

f) *Comment. in Boerhaave aphor.* 757. *pag.* 534.

tem angularis iuxta affectum oculum ut et caeterae univerſi corporis omnes arteriae neque celerius neque frequentius quam cum integra valetudine pulsabant. Neque frigus ante neque intra dolorem calor, neque ſitis, neque ſecutus ſudor eſt, neque urina quemadmodum ab aegroto homine; etiam cibos aegra, ſi ita per dolorem licuiſſet, commedere potuiſſet, ipſae quoque cum ſecretiones tum excretiones nullo neque acceſſionum neque intermiſſionum tempore defecerunt, ſed, quemadmodum ſanis corporibus convenit, continuarunt.

Huic aegrae, quo tempore requies erat, multum corticem peruvianum praeſtiti, qui quam proxime dolorem excuſſit.

Similis dolor menſe Maio anni 1752 eandem capitis partem quinque dies affecit, iterumque poſt aſſumtum corticem deceſſit.

Similiter acutus cervicis dolor, qui iuvenem veſperi quaſi per certum circuitum prehendit, et mane dimiſit, promptam a cortice peruviano curationem recepit.

Neque medicamenta purgantia multa, emplaſtra veſicatoria, venae ſectiones, hyrudineſve, diverſaque alia remedia, quae diverſi medici propoſuerunt, virum duaſque mulieres iuverunt, ubi tali capitis dolore tentabantur: iuvit autem quantocius cortex peruvianus, quem poſthaec obtuli.

Nonnunquam cum tali capitis dolore urina ſedimentum lateri trito ſimile praecipitat; perinde ac in febribus, quae toti corpori inhaerent.

AEGROTUS XXVI. Anno 1751 Vir fortis et magni animi extremo dolore excruciabatur, qui per certa tempora acceſſit, ſiniſtramque capitis partem hora octava matutina occupavit, poſt ſecundam pomeridianam iterum dimiſit; deindeque noctem liberam reliquit.

 In-

Intra iſtum tormentum ſiniſter oculus intumuit, rubrum colorem accepit, et multas lacrymas emiſit: nihil autem ex pulſu vel iuxta carpum temporave aut ſecundum affectum oculum in arteria angulari mutatum eſt. Nullus etiam neque calor neque ſitis neque ſudor aderat: valuit etiam edendi deſiderium; at vero urina ſedimentum lateri trito ſimile praecipitavit.

Huic, quoniam ſuus eum Medicus pharmaco ante purgaverat, protinus corticem peruvianum, quo tempore dolor non preſſit, obtuli: ſicque eundem quam proxime ad integritatem perduxi.

AEGROTUS XXVII. Nonnunquam talis dolor, ut aliae quaedam febres, continuat, neque per intervalla intermittit, ſed per tempora exaſperatur, Anno 1752 die 30 Auguſti viro 40 annos nato, quaſi ex febre intermittente ciborum nauſea erat, calor, os amarum, noctu plurimus ſudor, et urina rubra, qua ſedimentum lateri trito ſimile praecipitavit.

Ob quae praeſtitum medicamentum vomitorium eſt; quod, ut plurimam bilem excuſſit, multum et ex calore et ex ſudore minuit. Poſt haec ortus veſperi iuxta utrumque nervum orbitarem ſuperiorem acutus dolor eſt, qui hora quinta veſperi incepit, et totam noctem continuavit, interdiu vero aliquantum remiſit. Sicque per certos circuitus.

Huius doloris impatiens aeger ex conſilio (quoniam id ab unoquoque facile acceperat) ſibi venam iuxta pedem bis ſecari et nuchae emplaſtrum veſicatorium imponi, caputque cataplaſmate foveri iuſſit, medicamentum item narcoticum ſaepe aſſumſit, omnia ſine profectu.

Eum triduo poſt cortex peruvianus ſanum reddidit.

Talis quidem febris propterea quod dolor cer-

tum

tum circuitum ſervat, facile ab unoquoque intelligitur. At ubi non ſervat, ſed contra confuſis acceſſionibus continuat, aut vago modo incedit, aut incerto tempore intenditur, difficilis cognitu eſt. Ubi id obtinet, debet morbus per eas notas, quas ſuperiore libro poſui, noſci.

CAPUT II.

Febris intermittens Cari cauſa.

Nonnunquam in longis febribus contingit, aliquo ſomno demergi per periodos, quod quidem ſaepe evenit in quotidianis febribus et hemitritaeis, nonnunquam etiam quartanis g). Id viris plethoricis atque iuvenibus, et his qui iuniores ſunt, pueris nempe obeſis item, ſi quidem febre tentantur, contingit.

At nonnunquam etiam Carus ſive in prima ſive in alia quapiam febris intermittentis acceſſione prehendit, aegroſque niſi protinus ſuccurritur, quam proxime extinguit. Quemadmodum RICHARDUS MORTON *h*) et THOMAS SYDENHAM *i*) olim notarunt: et FRANCISCUS TORTI propoſuit, huic vitio qua ratione obveniri debeat; quos GOTTLIEB WERLOF *k*) recte ſecutus eſt.

Non infrequens iſte affectus anno potiſſimum 1749 et anno 1750 hic locorum fuit, qua tempeſtate febris intermittens popularis erat, ex his aegris eos, tantum memorabo, quos ipſe curavi, ſubiiciamque quid in iſtius morbi curatione obſervando attigerim.

 AE-

g) *AETIUS lib. VI. cap.* 3.
h) *Pyretol. exercit.* 4. §. 9. *et hiſtor.* 25. *et* 26.
i) *Epiſt. I. reſpons.*
k) *Obſerv. de febr. Hannoverae* 1745.

AEGROTUS XXVIII. Anno 1749 die 16. Octobris vir 50 annos natus robuſti corporis habitus, os amarum, ciborum nauſeam, ſitim, et vagum ſaepe ſudorem accepit, ſenſum item repletionis etiam poſt paucos cibos.

Ex aſſumto protinus medicamento vomitorio bene habuit; altero die exigua febris venit, tertio requies. At quarto die adeo vehemens circa horam quintam veſpertinam febris acceſſit, ut extremas eius furias deliriaque componere neque larga sanguinis miſſio potuerit, neque multum nitrum; neque per noctem ſatis continere hominem tres viri valuerint. Secutus poſtero die Carus eſt, qui aegrum quinque et viginti horis omni adeo ſenſu privavit, ut is neque parata ex foliis Tabaci et ſale gemma enemata, neque admota naribus fortia odoramenta, neque indita acria medicamenta, neque etiam applicata emplaſtra veſicantia quidquam perceperit.

Sexto die mens rediit, ideoque intra breve ſpatium, quod ſupererat, unaquaque hora corticis peruviani drachmam aegro praeſtiti; ſicque quam proxime bonam valetudinem reſtitui.

Similiter ſutorem unum et mercenarium alterum, quos Carus ex febre tertiana ſub finem aeſtatis anni 1757 prehenderat, promte adhibitus cortex peruvianus eripuit.

In eo autem omnis ſalutis cardo vertitur, ut medio inter acceſſiones tempore quam plurimum corticis offeratur: id eſt, tantum, quantum par eſt, febri protinus excutiendae. Hic enim breve ſpatium eſt, intra quod ſi non omnino occurritur, aeger extinguitur. Neque debet humorum ſive coctio, ſive evacuatio exſpectari. Ad id enim non ſatis temporis patet.

Non ſolum ad febrim, quae incipit, quaſi ob cru-

cruditatem materiae Carus accedit; ſed et ad eam, quae diu inſedit, et nullam periculi ſuſpicionem oſtendit.

Ita duos viros, qui febrim intermittentem per annum traxerant, poſtremo Carus corripuit; horumque alterum 24, alterum 18. horis profundo ſomno demerſos detinuit, ex quo medicamentorum vi erepti cum fuiſſent, citius adhibito cortice peruviano convaluerunt.

Tutius eſt, febrim, ubi haec alterius cuiuspiam morbi curationem non promittit, protinus expellere; maximeque ſi aeger ſanguine abundat, aut ſenilis aetas eſt, aut aquoſi humores exuberant.

AEGROTUS XXIX. Anno 1753 die 12 Iunii vir 60 annos natus, craſſus, praepinguis, phlegmaticus et vorax, intra primam febris tertianae acceſſionem nimium dormivit, altera acceſſione inexpugnabilem paene dormiendi neceſſitatem habuit. Quare, quoniam metuebam, ne proxime Carus ſuperveniret, duplicata corticis peruviani portione febrim citius excuſſi, et hominem tutum praeſtiti. Et profecto in tali febrium circumſtantia feſtinare iuvat. Eſt enim incertum id, quod proxima acceſſione futurum eſt. Alia enim febris citius in primis acceſſionibus necat; alia poſt multos circuitus, quo tempore periculum longius abeſſe credimus, iugulat. En exempla.

AEGROTUS XXX. Anno 1749 vir 38 annorum febre intermittente laborabat, quam periculo vacuam medicus putabat. Is tertia acceſſione lethargicus evenit, neque potuit eum quisquam ſive fricando ſive ſcalpendo ſive vellicando ſive acribus enematibus, ſive emplaſtris veſicatoriis excitare; contra vero intra multum calorem atque ſudorem expiravit. Similiter Carus mulierem decimo febris die extinxit:

xit: alteram octava acceſſio praeter omnem exſpectationem delevit. Credibile eſt, hos ita ſuccubuisſe; quoniam cocta per febrim materia translata in cerebrum eſt.

Perpetuum igitur non eſt, quod olim HIPPOCRATES *l*) dixit, febris intermittens quod absque periculo ſit.

CAPUT III.

Febris intermittens Ophthalmia.

Si a febre intermittente oculus inflammatur is nullam niſi a cortice peruviano medelam admittit.

AEGROTUS XXXI. Medio autumno anni 1750 mulier 45 annorum febre intermittente exquiſita laborabat: quae poſt aliquos circuitus ſponte deceſſit. Poſt dexter oculus ſubito dolere, rubere, inflammari atque tendi coepit, ob quae miſſus e vena ſanguis eſt, praeſtita potio antiphlogiſtica decoctumque refrigerans et fomentum calidum, vapor item aquae tepidae ad laeſum oculum; omnia ſine profectu: Crevit enim tumor circum, palpebras claudens, inque oculo id quod album eſſe debet, atro ſanguine ſuffuſum eſt.

Cum his aegra os amarum habuit et urinam craſſam cum ſedimento lateri trito ſimili, ut in ipſa febre emiſit.

Ob quae et quoniam iſte quidem affectus proxime poſt febrim incepit quaſi eo translatus fomes fuisſet, reiecto omni prioris curationis apparatu multum corticem peruvianum praeſtiti, qui oculum biduo poſt integrum effecit.

Si-

l) *De morb. popul. Lib. I. Sect. 3.*

Similem Ophthalmiam MORTON *m*) narrat, verum quam paulo aliter curavit.

CAPUT IV.

Febris intermittens, quae pleuritidem mentitur.

Nonnunquam acutus dolor lateris ex febre intermittente eſt; isque per certos circuitus et prehendit et dimittit.

Hic quoniam certum circuitum ſervat, debet utique ut quaeque febris intermittens cortice peruviano expelli. Talem dolorem tertianae, nonnunquam etiam quartanae ſupervenire FERNELLIUS *n*) et qui eius ſcriptis notas adiecit author *o*) reliquerunt, et RICHARDUS MORTON *p*), quod nullam niſi a cortice peruviano curationem admittat.

Id magis adhuc per hoc conſtat, quod nonnunquam idem dolor latus ſubito relinquit, atque in oris labia coniicit ſe, eademque exulcerat, qualem exitum multae febres intermittentes ſumere conſueſcunt.

AEGROTUS XXXII. Anno 1753 die 14 Maii vir 50 annorum atque ob malam nimium bibendi conſuetudinem, vitiati corporis habitus horruit deinde incaluit, ſimul et acutum in ſiniſtro latere dolorem accepit, ob quem miſſus e vena ſanguis praeſtitaque talia auxilia ſunt, qualia pleuriticis convenire dicuntur. Finita acceſſione, quae diem traxerat, multus ſudor olens erupit, urinaque ſedimentum lateri trito ſimile praecipitavit. Deinde per diem requies erat.

Al-

m) *Tractat. de morb. acut. cap. 9. hiſt. 16.*
n) *Method. curandi febres cap. II.*
o) *Ibidem Lib. IV. cap. 15.*
p) *Tractat. de morb. acut. cap. IX. hiſt. 20.*

Altera acceſſione ulcerari labia coeperunt, ad quae verſa morbi materia cum fuiſſet, ea latus dolore vacuum et hominem febris expertem reliquit. Utique febris fomes in latere reſidebat, ibidemque miasma cum eo convenit, et febrim excitavit: febris ipſa fomitem movit, eundemque in labia tranſtulit ex his abſceſſurum.

At ubi talis morbus in dolore atque calore continuat, neque per certa tempora intermittit, difficulter cognoſcitur.

Is anno 1751 et 1752 multos Moguntiae cives prehendit, aliquosque ex his, maximeque qui laeſos ante pulmones habebant aut vitiati caeterum corporis habitus erant, extinxit. Alii etiam robuſti homines vel in vitae diſcrimen inciderunt, vel oppreſſi ſunt, ob id quod corticem peruvianum non acceperunt, ſed communibus tantum auxiliis uſi ſunt. Nonnulli naturae beneficio evenerunt. Multi poſteaquam morbus diu traxit et depoſita Pleuritidis larva in certos circuitus diſtinxit ſe, ſanati ſunt.

Hic morbi, qualis ea tempeſtate fuerit, faciem paucis deſcribam. Initio frigus erat, deinde calor continuus ad morbi exitum usque. Cum ipſa acceſſione ortus acutus magis in ſiniſtro quam in dextro latere dolor eſt: ſitis magna, nauſea, et ſaepe vomendi deſiderium; acceſſit delirium, ubi aegri oculos, veluti ſomnum capturi clauſerunt; intraque idem delirium iterum vigiles evenerunt. Arteriarum pulſus frequens et celer erat: maximeque quo tempore intenta febris eſt. Continuus per confuſas febrium acceſſiones calor erat: ipſaeque exacerbationes magis quotidie quam tertio die nunquam quarto advenerunt: intraque iſtas exacerbationes ferox delirium, aeſtus, corporis agitatio, inquietudo, atque praecordiorum anguſtiae aegros agitabant. Inter haec acutus lateris

do-

dolor, ut coepit, continuavit, neque in febrium remiſſione quicquam inclinavit ſe. Per iſtum dolorem tuſſis vehementer urſit; quae modo nulla, modo pauca, modo etiam multa ſputa, ſive alba ſive ſanguine tincta traxit; eademque modo protinus ab ipſo morbi initio eduxit, modo tradius, poſt quintum ſcilicet diem emolita eſt; modo etiam horum omnino nihil. Neque item melius habuere, qui multa, quam qui pauca ſputa reddidere. Etenim ipſa quoque expectoratio necquicquam profecit. Supervenit tertio (nonnunquam etiam altero, nonnunquam quarto) die largum alvi profluvium, quod multa aquoſa, putrida, cadaver olentia tres aut quinque dies, nonnunquam longiore tempore infra traxit, atque aegrum perimbecillum reliquit. Vixque aliquis iſtius alvi fluxus expers manſit.

AEGROTUS XXXIII. Anno 1751 vir macer 36 annorum, poſt febrim quartanam quam diu traxerat, aurigine tinctus eſt. Deinde febris exſpers bene habuit, et cibos vehementer deſideravit. Non multum poſt temporis, die 4 Ianuarii acutum in ſiniſtro latere dolorem accepit, cum frigore et magno deinde calore; tuſſis etiam acerba preſſit. Acceſſit veſperi delirium, intraque id aeger corpus inquietum habuit, et quaquaverſum proiecit.

Ob quae miſſus protinus e vena ſanguis iterumque miſſus eſt; et praeſtita medicamenta refrigerantia ſunt, fomenta item emollientia ſupra affectam partem. Nihilominus ex dolore atque delirio necquicquam intra noctem minutum eſt.

Erupit altero die plurimus ſudor olens; mens rediit, urina ſedimentum lateri trito ſimile praecipitavit; lingua ſordida erat, ciborum nauſea, et dentes glutinoſi; quemadmodum poſt febris intermittentis acceſſionem. Inter haec et calor magnus, et multa ſi-

tis, et acutus dolor, ut ante coeperunt, continuarunt. Acceſſit largum alvi profluvium, quod multa putrida, cadaver olentia quinque dies excuſſit et aegrum perimbecillum reliquit.

Ob quae ſigna, quoniam ea febri intermittenti propria eſſe videbantur et febris ipſa non diu ante ceſſit, corticem peruvianum per minutas portiones breves inter caloris remiſſiones praeſtiti ad duas uncias usque.

Hic necquicquam movit: etenim manſit idem acutus lateris dolor, manſit acerba tuſſis, quae nihil emollita eſt, acceſſit idem maior calor veſperi, eadem noctu deliria fuere, inquietudo eadem, praecordiorum anxietas, mane ſimilis ſudor, deinde urina craſſa; poſt rectior mens, interceſſit largum alvi profluvium, quod aegri animum ſaepe depreſſit, atque vires vehementer convulſit.

Ad exitum quinti diei clauſa alvus eſt; nono die poſt quinque corticis unciae, aeger omnis doloris, caloris, atque ſitis expers convaluit, noctu quievit, urinam limpidam emiſit, cibos deſideravit; deindeque vires omnino recuperavit.

Multi proximo vere, quo tempore popularis iſte morbus evenit, ſimiliter decubuere: et ſiquidem horum alicui ulcera iuxta oris labia eruperunt, is protinus doloris, etiam qui vehementer in latere preſſit, expers factus eſt.

At peior morbus vere anni 1752 erat, quoniam is nulla febris intermittentis indicia habuit, ſed in calore uti coepit, etiam absque remiſſione continuavit.

Initium cum frigore et acuto lateris dolore erat, quem calor urens excepit ſimul et nauſea, acceſſit ſitis cum magno frigidam bibendi deſiderio; quam ubi aegri biberunt, protinus eandem vomitu reiecere:

lin-

lingua arida evenit, tuſſis acerba et ſpiritus difficilis: vigiliae, deliriumque ferox mentem exagitabant. Inter haec ſaepe ſudor erupit. Supervenit altero tertiove die putridum alvi profluvium, quod per multos dies trahens aegros maxime imbecillos effecit. Cum his praecordiorum anguſtiae, inquietus animus et corporis agitatio aegros ſaepe exercebant. Sputa alii multa vel alba vel ruffa vel coerulea vel ſanguine tincta liberaliter eiecere: alii nihil horum ſed inani tuſſiendi neceſſitate vexabantur. Arteriarum pulſus frequens, exilis, ſaepe inaequalis erat; nonnunquam ipſe defecit. Et ubi aliquantum quidem morbus inclinavit ſe, nonnihil ex delirio atque ſudore minutum eſt; necquicquam vero mens ex toto conſtitit.

AEGROTUS XXXIV. Anno 1752 vir 40 annorum die 16 Aprilis poſt comeſationes, potum atque iram noctu inhorruit; ſimul et acutum in latere dolorem accepit, cum ſummo calore, ſiti inexplebili, magna ſpirandi difficultate et atroci tuſſi. Supervenit altero die largum alvi profluvium, quod multa putrida excuſſit, et corporis vires vehementer contrivit. Acceſſit, pertinax delirium cum vigiliis, lingua aſpera evenit, dentes ſicci et vox clangodes.

Cum iſtum quidem aegrum tertio die accepiſſem, protinus ſanguinem e vena iterumque et altero item die miſi; Iulapia amiſto melle et nitro atque decocta emollientia imperavi, quae liberaliter biberet: impoſitaque affecto lateri fomenta emollientia ſunt. His aliquantum quidem ex morbo, necquicquam autem ex periculo minutum eſt.

Poſt, cum morbus aliquas febris intermittentis notas monſtraſſet, multum corticem peruvianum ſuperioribus auxiliis adieci, qui aegrum 14 intra dies reſtituit.

Simili curandi ratione multos impoſterum aegros, quos hic recitare nimis longum foret, eripui.

Potuit quidem iſtud alvi profluvium, quod omnes tales aegros prehendit, metum incutere, cum quoniam aegrorum vires, quae per ſe ſatis imbecillae erant, vehementer contrivit; tum quoniam aſſumta medicamenta protinus inconfecta infra excuſſit, ſicque corpus auxilio deſtituit. Quae res difficilem et ſatis longam curationem effecit. At multum tamen ad bonam valetudinem contulit, ob id, quod impuram colluviem, quae circum praecordia coiverat, extus traxit. Verumque eſt, quod olim HIPPOCRATES q) dixerat: *Quibus in febribus dolore lateris fiente alvus multa aquoſa ac bilioſa egerit, hi allevantur.*

Rectius utique in his adhibito protinus medicamento vomitorio occurri potuiſſet: ex eo enim morbus et brevior et curationi magis opportunus factus fuiſſet. Quod ſemel feliciter executus ſum.

Vix autem ita obveniendi occaſio hic facile patuit; cum quoniam, quo tempore Medicus in auxilium vocatur, iſtud alvi profluvium ad ſummum iam pervenit, et aegri vires vehementer convulſit, tum quoniam quod occupavit, ipſum a vomitorio vix curationem recepiſſet.

Ubi id obtinuit, multum corticem peruvianum ſuperioribus auxiliis adieci, ſcilicet ut aliquantum ex eo, etſi plurimum infra eiectum fuerit, nihilominus id quod intus manſit, interea febrim ſi non excutiat, tamen minuat, donec clauſa poſtea alvo idem eandem excutiat. Qua curandi ratione veluti nunc tutisſima tales aegros iuxta decimum diem ad ſanitatem perduxi.

Tuſſis etiam, et qualem in iſto morbo ſputa rationem habuerint, privatam conſiderationem ſibi vindicavit. Ex ea enim alii aegri promptius, alii vero tar-

q) *Coac. praenot. Sect. I.*

tardius ſputa emiſere; alii plurima, alii nulla habebant: alii cocta largam facile, alii cum difficultate tenuem lympham; alii item alba, alii flava, alii ruffa, alii ſanguine tincta, alii coerulea, alii etiam viridia, alii varie colorata eiecere. Quae quidem diverſitas a diverſo vel pulmonum vel lateris vel ipſius ſanguinis ſive recenti ſive antiquo vitio proveniſſe videbatur.

Neque in his ea auxilia, quae ſputa emolliri conſueſcunt, quidquam profecerunt, ſed modo aliquid, modo nihil, modo multum, ſine certo effectu, extraxerunt. Nonnunquam poſt febrim, et cum corporis vires aliquantum invaluerunt, ſecuta expectoratio eſt.

Maxime autem notatu dignum erat, tuſſim in ipſis febrium intenſionibus aridam, in remiſſionibus humidam fuiſſe, poſt, ubi plurimum ex febre per corticem demtum fuit, ſputa liberaliter exiviſſe: expuncta vero febre neutrum horum.

Ita difficilis aridaque tuſſis manſit, ſi non recte occurſum eſt, et febris diu traxit; humida vero eadem atque facilis evenit, ubi cortex peruvianus promptius adhibitus eſt. Nonnunquam tali curatione tuſſis et lateris dolor ſimul omnes absque ſputo deſierunt.

AEGROTUS XXXV. Vir 69 annorum tempeſtate frigida acuto lateris dolore correptus eſt, intra quem, etſi enim multa remedia, quae pleuriticos iuvare conſueſcunt, aſſumſiſſet, nihilominus tuſſim aridam diu traxit: ut autem adhiberi cortex peruvianus coepit, ipſa tuſſis facilis evenit, multum ſputum trahens, ipſaque poſt duas corticis uncias aegrum ex toto dimiſit.

Similiter ſenecio, quem menſe februario pleuritis prehendit, cum acerba tuſſi tenax ſputum ſanguine tinctum difficulter trahente male habuit. Acceſſit delirium, calor urens et inquietudines. Adhibitus ſeptimo

die

die cortex peruvianus facilem expectorationem effecit; et multa ſputa flava viridiaque eduxit: proximeque dolorem ſimul et tuſſim delevit. Excuſſit etiam cortex peruvianus, cum is die ſeptimo adhibitus fuiſſet, tuſſim aridam atque acutum lateris dolorem; absque ſputo impoſterum, vetulamque ſexagenariam, quae ideo diem fere egit extremum, ſanitate reſtituit.

Et profecto terribilis iſtius morbi facies eſt; maximeque ubi acceſſiones aut quotidianae aut duplices tertianae ſunt, aut ipſae confunduntur, aut incertis temporibus adveniunt. Tali enim caloris confuſione nulla fere de febre intermittente ſuſpicio eſt, ſed potius morbus ipſe pro vera pleuritide habetur. Quod ſi largum alvi profluvium huic incidat, intraque id animus ſaepe deficiat, neque ſputum coctum ante quartum quintumve diem ſequatur; poteſt utique timeri, ne propinqua mors inſtaret.

At ſumma periculi poſita in cauſae fallacia eſt: ſiquidem cum iſte quidem lateris dolor nullam a communibus remediis, quae caeteros pleuriticos iuvare conſueſcunt, medelam admittat, ſed corticem peruvianum ad curationem requirat; utique plurimum intereſt noſſe, morbus qui eſt, verane pleuritis an febris intermittens ſit.

Quare operae pretium facturum me eſſe exiſtimo, ſi eas notas, per quas talis morbus diiudicari poſſit, nunc recitavero; maximeque cum magna febris intermittentis indicia non retineat. Sunt autem iſtae quidem notae potiſſimum ſimiles his, quae paulo ante habentur, quam febris intermittens erumpit: aut quales febris, quae proxime ante ſubmota nondum expuncta eſt, relinquit; id eſt, ſi initio horror longior et maius frigus eſt, quam a quibus febres continentes incipere conſueſcunt: ſi maior protinus ſequatur

ca-

calor, in eodemque aegri citius exardeſcunt, ſi ſaepius vomituriunt; ſi os amarum, linguam viſcoſam et veluti paſta obductos dentes habent; ſi guſtantes panem ſecalinum acidum, triticeum vero inſtar cereviſiae fermenti amarum eſſe putant; ſi iura carnium ipſasque carnes nauſeant; ſi coctas carnes aut et eos homines, qui a prandio revenere longius, quam quidem ſanus aliquis poteſt, odore percipiunt, indeque uauſeant; ſi vinum album rhenanum (quod experimentum de vino rubro nondum cepi) etiam cum ſitiunt, reſpuunt, idque, nunc vappidum eſſe putant, quod olim etiam cum luxurie biberunt, coniectura erit, morbum, qui eſt, ad febrim intermittentem pertinere.

Si ſine medicamento calefaciente et absque foci igne ſaepe inſudant; et nullum a tali ſudore levamen accipiunt; ſi poſt potum calidum protinus ſudore iuxta frontem et in pectore immadeſcunt; ſi durus lienis tumor ubi talis a febre intermittente olim remanſit, nunc iterum increſcit; ſi dolor aliquam corporis partem, in qua ante ſive os fractum ſive loca pulſum fuerat, ſive quae alio quopiam veterano vitio male affecta torpuit, nunc iterum eandem per certos circuitus premit, ſi vultus et inferiores praeprimis oculorum palpebrae ſubflavae ſunt, certior de febre intermittente ſuſpicio habetur.

Si ſudor odorem ingratum ſubacidumque, veluti a febre intermittente ſpirat; ſi urina rubra evenit, et ſpumam diutius ſuſtinet; deindeque ut frigeſcit, turbida fit, atque ſedimentum lateri trito ſimile praecipitat; ſimul et matulae parietes intus pelle alba atque coerulea induit, aut ſi eadem etſi initio morbi tenuis et limpida fuerit, nihilominus deinde poſteaqum aliquantum ex cortice datum fuerit, ipſa turbida evenit; ſi aeger tales aliquas notas, quales olim, cum

forte febre intermittente laboraverat, percepit, nunc iterum iuxta novum iſtum morbum perſentiſcat; ſi febris intermittens ipſa non diu anteceſſit, ſi eadem non ſatis cortice multo ante expuncta fuit; vix dubitari poteſt, acutus iſte lateris dolor, quod febris intermittens ſit.

Si communia remedia, quae pleuriticos iuvare conſueſcunt, necquicquam proficiunt, ſi poſt 5, 6, aut 7 dies, etſi nullum adhuc ſputum exiverit, neque ſecuta alia quaepiam vicaria evacuatio fuerit, nihilominus nec dum factus aliquis abſceſſus ſit, nec gangraena occupaverit, contra vero ſpes ſalutis per intervalla appareat; ſi idem morbus popularis eſt; atque iuxta ſimiles aegros homines citam curationem a cortice peruviano recepit, certum omnino erit, a febre intermittente acutum iſtum lateris dolorem eſſe.

Et quo horum ſignorum plura conveniunt, eo certior cauſae notitia habetur: contrarium, ſi pauca appareant. Praecipua autem indicia poſſunt eſſe ſudoris copia ſimul et odor, et is qua ratione erumpat; deinde urinae ſedimentum lateri trito ſimile; poſtremo ſi popularis talis morbus eſt.

Atque talis quidem hucusque iſtius morbi ratio erat, isque initio anni 1754 finem ſumſit.

Porro ſcire refert, plurimos ex his, qui ita affecti fuerant, paulo ante vel febre intermittente laboraſſe, vel febrim longiore tempore traxiſſe; vixque aliquem, qui febrim protinus excuſſerat, eo decidiſſe. Quod experientia in plus quam 30 aegris docuit. Eosque, qui febrim longius ante trahebant, corticis plus ad perfectam curationem impoſterum requiſiviſſe. Quod duabus potiſſimum de cauſis neceſſarium erat: et ut omnes febris intermittentis reliquiae excutiantur; et ne idem lateris dolor revertatur: reverſus autem

non-

nonnunquam poſt annum, imo poſt tres annos et (quod ſatis mirum videri poteſt) in idem latus eſt.

CAPUT V.

Febris intermittens, quae catarrhum mentitur.

Si fomes in Pulmone eſt, et in eum miasma incidit, oritur febris, quae Catarrhum mentitur. Isque tum a communibus remediis, quae catarrhoſos iuvare conſueſcunt, curationem non admittit; ſed corticem peruvianum requirit.

Continuus calor eſt; ſudor incerto tempore facile erumpit; aegri carnes nauſeant, arteriarum frequentem pulſum habent, urinam rubram emittunt, quae ſedimentum lateri trito ſimile demittit. Inter haec tuſſis continenter vexat, ſic ut catarrhi febris, et ubi ipſa inveteravit, hectica eſſe cuipiam videri, ſubque iſta larva Medicum fallere facile poſſit.

Quod autem febris intermittens vexae cauſa ſit, per ea ſigna ſcire licet, per quae abſconditas febres noſci poſſe ſupra poſui, ſive plura tali ſigna convenerint, ſive aliqua tantum eius indicia appareant.

AEGROTUS XXXVI. Anno 1752 vir 50 annorum ſudore cum immaduiſſet, in ſubterraneum deſcendit, inque eo corpus ſubito perfrigeravit. Inde arida tuſſi affectus eſt, quam, etſi enim contra eam multa atque diverſa remedia adhibuiſſet, tamen duos menſes traxit, exque ea perinfirmus evenit.

Cum iſtum quidem aegrum accepiſſem, eum utique catarrho laborare putabam; maximeque cum probabilis huius cauſa anteceſſit, ob quam coctas ex aqua molles herbas taliaque remedia praeſtiti, quae ſimili morbo conveniunt; diaetam item humidam im-

peravi. His aliqua quidem ſputa craſſa provenerunt, at ſine levamine. Calor enim continuavit, ciborum nauſea, eadem corporis infirmitas, marcorque, perinde ac ab ipſo morbi principio. Urina etiam rubra manſit.

Poſt id temporis aeger vinum rhenanum, quaſi id vappidum eſſet, nauſeavit, ſubflavam faciem accepit, vertiginem ſub libero coelo, os amarum, linguam ſordidam, dentes viſcoſos, et quemadmodum ex inedia foetidam animam.

Per haec indicia, quod febris intermittens hic lateat, iudicavi. Quare aegri alvum pharmaco purgavi; deindeque corticem peruvianum praeſtiti; qui protinus omnem tuſſim delevit, et amoenum vultus colorem decoremque, edendi item deſiderium, vires denique corporis et integram valetudinem reſtituit.

AEGROTUS XXXVII. Anno 1753 die 27 Ianuarii vir 50 annos natus craſſi et toroſi corporis habitus diu catarrho vexabatur, cum calore, ſiti, dolore capitis, perturbato ſomno, et ciborum faſtidio. Ob quem tepidam aquam, in qua coctae molles herbae erant, bibit, adiecto melle, quae aliquantum quidem ſputi emolita eſt; at ſine levamine.

Progreſſu temporis aliqua veluti febris tertianae indicia apparuere, nempe calor quidem continuus erat, at alterno die intentus eſt, ſubflava facta facies eſt, inſudationes eruperunt, et nonnunquam urina ſedimentum lateri trito ſimile depoſuit.

His cognitis corticem peruvianum medicinae dedi, qui paucos intra dies omnem tuſſim delevit, ſimul et ſomnum, edendi deſiderium et proſperam valetudinem reſtituit.

AEGROTUS XXXVIII. Anno 1753 virum 50 annorum ſpongioſi atque phlegmatici corporis habitus tuſſis

tuſſis ſicca, praecordiorum anguſtia, laterum oppreſſio, atque ſpirandi difficultas noctu prehenderunt, poſtero die anhelitus, calor, ſitis, frequens arteriarum pulſus, et urina rubra.

Ob quae miſſus e vena ſanguis eſt, praeſtitaque emollientia ſunt, ſine profectu: poſt haec corpus ſaepe inſudavit; et facies maximeque circum oculorum palpebras, flava evenit.

Quare corticem peruvianum ſuperioribus auxiliis adieci; qui ſpiritum liberaliorem effecit, et tuſſim et arteriarium pulſum compoſuit, atque ſputi quicquam emolitus eſt, aegrumque quam proxime reſtituit.

Gulae deinde quatuordecim abhinc diebus indulgens homo, incidit in tertianam exquiſitam, tanquam prioris recidivam.

AEGROTUS XXXIX. Anno 1753 die 11 Martii foemina 60 circiter annos nata temperamenti phlegmatici, et quae iam diu tuſſire conſueverat, nunc a duobus menſibus gravi tuſſi laborabat, cum ſuſpirio et praecordiorum anguſtia.

Haec ſanguinem e vena miſit, alvum pharmaco purgavit, lac tepidum, cui ſalvia et mel incocta erant, bibit; diverſaſque alias res, quas vel vicini vel mulierculae comendaverant, aſſumſit, omnes ſine profectu.

Erat aegrae magnus calor, ſitis, excarne et perinfirmum corpus, multus ſudor, vigiliae, frequens arteriarum pulſus, faſtidium, anhelus ſpiritus, urina rubra tranſparens.

Diaetam imperavi, atque molles herbas coctas ex aqua cum nitro et oxymelle. Etſi vero ex his ſputa octiduum liberaliter proveniſſent, manſerunt tamen vigiliae, et ciborum faſtidium. Secutae ſunt inſudationes multae; aegra os amarum et linguam ſordidam atque glutinoſos dentes accepit; urinam item craſ-

craſſam, quae ſedimentum lateri trito ſimile praecipitavit.

Per haec, quoniam novi febrim intermittentem ſub iſta morbi larva eſſe, reiecto ſuperiore remediorum apparatu nihil niſi corticem peruvianum praeſtiti, qui aegram paucos intra dies omnino ſanam effecit.

Quod ſi autem catarrho, qui eſt, febris intermittens ſuperveniat, ſolet quidem eius tuſſis intra ipſam febrim arida eſſe, mediis vero inter acceſſiones diebus facilis et ad exitum morbi per liberalem expectorationem deſinere.

AEGROTUS XL. Anno 1753 fine Menſis Maii vir fortis et toroſus annos 36 natus tuſſi ſicca cum pectoris anguſtia laborabat, acceſſit febris intermittens exquiſita, quae per acceſſiones tuſſim aridam effecit.

Cortex peruvianus febrim excutiendo expectorationem liberalem ſimul et hominem utriuſque morbi expertem reddidit.

CAPUT VI.

Tuſſis ſicca, quae febrim proxime antecedit.

Etiam tuſſis ſicca, quae nonnunquam febrim intermittentem antecedit, privatam conſiderationem ſibi vindicat.

Haec ſub expectatione acceſſionis incipit, et creberrimis inſultibus aegrum excruciat, donec febre exardeſcat. Medio calore requies eſt, ad alteram acceſſionem usque. Iuvant, quae febrim excutiunt, caetera remedia vana ſunt.

AEGROTUS XLI. Anno 1751 die 5 Ianuarii Iuvenis 19. annorum, cum febrim quartanam haberet,

ret, duas ante acceſſionem horas tuſſim ſiccam accepit, quae in ipſum uſque calorem continuavit; per ardorem vero mediisque inter acceſſiones diebus requies erat; ſicque per certos circuitus. Quod ſi vehemens ante tuſſis erat, vehemens etiam febris acceſſit; ſi vero mitior tuſſis anteceſſit, mitior quoque ſecuta febris eſt; quod ſi autem poſt aſſumtum corticem peruvianum nulla tuſſis advenit, indicio erat, febrim excuſſam eſſe. At ubi deinde longum poſt tempus tuſſis iterum prehendit, quod febris ipſa inſtaret, ſignificabat: exque iſta tuſſi febrium recidivas, quarum multas aeger ob ciborum incontinentiam habebat, praenoſſe licuit.

AEGROTUS XLII. Anno 1753 menſe Martio puer triennis laxi corporis habitus febre intermittente laborabat, cuius ante acceſſiones tuſſim ſiccam accepit; quae, ut febris naturae beneficio finem ſumſit, ipſa deſiit. Reverſa vero die 30 Maii eadem tuſſis eſt, quo tempore febris ipſa iterum revenit.

Hos ideo ita tuſiiſſe iudico, quoniam, cum pectus antiqua labe vitiatum ante haberent, utique in offenſa parte citius quam in integra primos febris motus ſenſerunt; ex his enim alter ſanguinem ſputo reddere conſueverat; alter phlegmaticus ſaepe anhelare; vere veluti quorum olim os aut fractum aut loco pulſum erat, aut durus lienis tumor a morbo remanſit, in affecto loco febrim, quae acceſſura eſt ante percipiunt, quam eadem omnino erumpit. Ob quam rationem puto febrim aliquando prius initium ſumere, quam quidem aeger inalgeſcat.

CAPUT VII.

Febris intermittens ut Aſthma.

Si febris fomes eam corporis partem occupat, in qua Aſthmatis cauſa reſidere conſueſcit, cum eodemque miaſma ibidem convenit, febris intermittens excitatur, quae Aſthma mentitur. Suſpirare per certos circuitus, pectore gravari, laborioſe ſpirare, anhelare, angi circum praecordia, palpitare cor, frequentem arteriarum pulſum habere. Caeterum non frigere, non calere, non ſitire, ſudore non multum immadeſcere; neque ut a febre intermittente male habere.

AEGROTUS XLIII. Anno 1752 die 24 Ianuarii puella 12 annorum craſſi et turgidi corporis habitus poſt febrim intermittentem, qua aliquandiu ante laboraverat, anhela evenit, et ſpiritum difficulter duxit, cum frequente et exili arteriarum pulſu, et capitis dolore veluti per certos circuitus: urina turbida evenit, et ſedimentum lateri trito ſimile praecipitavit.

Purgata prius alvo corticem peruvianum adhibui; qui morbum, ut febrim intermittentem ſolet, promte pepulit, et integram ſpirandi facultatem reſtituit.

AEGROTUS XLIV, Anno 1752 die 15 Maii vir 36 annorum bibulus, ſpiritum difficilem accepit, cum praecordiorum anxietate, anhelitu et frequente atque exili arteriarum pulſu. Ob quem protinus ſanguinem e vena miſit, et decoctum aperiens liberaliter bibit.

Inde altero die requies erat, et facilis ſpiritus, tertio iterum Aſthma, quinto idem tanquam per certum circuitum; ſexto, urina turbida evenit, et ſedimen-

mentum lateri trito ſimile depoſuit, os aeger amarum habuit, et cibos nauſeavit.

Ob quae, purgata prius alvo, corticem peruvianum praeſtiti, qui ſeptimo die aſthma leve effecit, proximeque ſpiritum liberum praeſtitit.

AEGROTUS XLV. Anno 1752 menſe Septembri vir 60 annos natus, molitor, poſteaquam multum farinae confecit, infirmus evenit, cum ſpirandi difficultate. Quod vitium quaſi a longo labore et hauſto interea plurimo farinae pulvere proveniſſet, vero maxime ſimile videbatur.

Igitur miſſus e vena ſanguis et mel ex potu datum eſt, quod aliquam curationis ſpem oſtendit. Verum tertio quintoque die reverſum idem Aſthma eſt, cum ſibilo, calore, ſiti, et nauſea, mediisque diebus iterum requies. Urina item die ſexto turbida evenit cum ſedimento lateri trito ſimili.

Quare aegri alvum pharmaco prius purgavi, deinde corticem peruvianum obtuli, qui quam proxime ſpiritum integrum effecit.

CAPUT VIII.

Febris intermittens ſub vomitus figura.

Quod ſi febris intermittentis fomes ſive omnis ſive plurimus in ipſa ventriculi ſubſtantia reſidet, ibidemque cum eo miasma convenit, excitatur vomitus, qui aegrum continenter excruciat, neque in remiſſione deſiſtit.

AEGROTUS XLVI. Anno 1751 initio menſis Septembris iuvenis 20 annorum a febre quartana corticis peruviani auxilio evenit, ſicque quinque ſeptimanas morbi expers manſit.

Deinde gulae indulgens lactucam ſale conditam, ca-

caſeum, poma cruda atque uvas liberaliter comedit, a quibus iterum male habere coepit, dolere capite, cibos nauſeare, deinde diu noctuque cum labore et difficultate continenter vomere, ſic, ut auxilium ferendi nullum omnino ſpatium patuerit. Neque intra iſtum vomitum imposterum dolere capite, neque calere, neque ſitire, neque frigere, neque ulla ratione ut in febre intermittente habere. At urinam tamen cum ſedimento lateri trito ſimili emittere.

Quoniam autem febris recidivae hic magna ſuſpicio erat, cortice peruviano ſuccurrendum eſſe putavi. Verum, quodcunque aeger accepit, idem protinus vomitu reiecit.

Igitur fomenta aromatica ſupra ventriculum prius poſui, deinde opium quam minima doſi, ne difficilem ſtomachum offendat, ſaepe indidi; ſcilicet, ut his oriatur quies, quae corticem peruvianum admittat. At incaſſum: quidquid enim aeger aſſumſit, idem maximos inter cruciatus protinus ſupra excuſſit, imo etſi enim ventriculus omnino vacuus erat, nihilominus ut aeger caput vel excitavit vel leviter movit, vomitus vehementer preſſit. Horribile viſus ſpectaculum!

Quare aegri reclinatum corpus et ſtipitis inſtar immotum multis veſtimentis operui, ſcilicet ut his excitetur ſudor, qui quemadmodum SYDENHAM ſtatuit, aliquam vitiatae materiei partem verſus externam corporis ſuperficiem expellat: deinde, ubi id ſucceſſit, medicamentum ſudorificum adieci, admiſto opio.

Compoſito ita aliquantisper vomitu, corticis peruviani quidquam cum opio commiſcui, et progreſſu temporis, quo longior requies ſecuta eſt, eo plus corticis obtuli, donec iuxta undecimum diem (intra quod tempus ex quinque corticis unciis,

quas

quas aeger tanto cum labore aſſumſerat, duas fere intus retinuit) urina transparens evenit, etiam vomitus deſiit.

Ut vero aeger etiamnum vel caput levavit, vel iuſculum accepit, iterum vomuit. Ob quam rationem ut cubaret, imperavi, usque dum urina tenuis, aquoſa eaque quamplurima profflueret, ſcilicet ex quo urinae profluvio, quemadmodum ſupra diximus, noſſe licet, febrim longius propulſam eſſe. Quae cum proxime talis eveniſſet, aeger tutus ſurrexit, vomitus expers.

Ita aeger duos menſes ſanum ſuſtinuit ſe, poſt quos, cum omni edendi luxuriei ſubſcripſiſſet, in eundem morbum incidit, ex quo iterum eadem cura ſimilique labore extraximus eum. Deinde magis ſapiens diaetam obſervavit, et longo poſt tempore corticem peruvianum continuavit: quae medicina univerſum hominis corpus et magis pingue et magis toroſum, ipſam etiam vocem, ubi cantare tentabat, magis gravem effecit, quam quidem ipſa ante iſtum morbum fuerant.

CAPUT IX.

Febris intermittens ſub dolore colico latens.

Similiter febris intermittentis miasma, ſi in inteſtinorum ipſam ſubſtantiam praecipitat ſe, acutum in eis dolorem excitat, quem colicum vocant.

AEGROTUS XLVII, Anno 1753 die 2 Auguſti mulier 38 annorum, ſpongioſi corporis habitus et nervorum maxime mobilium, acutum in imo ventre dolorem accepit, qui aegram vehementer excruciavit, pulſum debilem et frequentem effecit, abdomen inflavit, nauſeam, ructus, et ſaepe vomitum ex-

excitavit, animi item deliquia. Inter haec ſanguis menſtruus erupit; minore quidem, quam oportebat copia.

Quare protinus potum calidum ex mollibus herbis adiecto melle praeſtiti; fomenta ſpura ventrem imperavi, et enemata ſaepe indi iuſſi, quae cum multa ſtercora mucumque ſubtraxiſſent, aliquantum levaminis attulerunt. Deinde decoctum purgans exhibui, quod, ducendo multas foeces, profecit.

Reverſum vero idem tormentum eſt, ut ſtatuto tempore, finitoque iſto circuitu multus ſudor erupit, febrim intermittentem olens: urina item turbida evenit, et ſedimentum lateri trito ſimile praecipitavit; quae febrium intermittentium notae ſunt. Ob quas miſſis caeteris remediis aegrae duas corticis peruviani uncias obtuli, quae triduo morbum excuſſerunt.

Deinde mulier, quoniam tutam ſe exiſtimabat, tempeſtati, quae eo tempore et frigida et humida incidit, liberaliter tradidit ſe; et, quaecunque etiam digeſtu difficilia voluit, comedit; ſicque in eundem morbum recidit; quem item cortice peruviano ſubmovi. Quotiescunque demum impoſterum ita relapſa eſt, (relapſa autem eſt ter ob ciborum incontinentiam) toties adhibito cortice peruviano evenit.

CAPUT X.

Febris intermittens veluti Cholera.

Poteſt etiam febris intermittentis miasma ſiquidem circum praecordia figitur, inque eo loco cum bile ſive nimia ſive vitiata confluxit, continuum, ut in cholera, vomitum ſimul et alvi profluvium excitare, qui neque cum acceſſione incipit, neque finita febre deſinit, ſed ut coepit, continuat, etiam inanis

cum

cum homo eſt: nulla enim in remiſſione requies eſt. Quare, quoniam certas febris intermittentis notas morbus non habet, poteſt utique vel pro ſtomachi vel inteſtinorum vitio haberi, obque id non rectum auxilium ferri.

Quare plurimum intereſt, vitii cauſam diiudicare atque ubi cognita haec fuerit, quam plurimum corticem peruvianum offerre. Scilicet, ut iſtius quidem auxilii tanta poſt vomitum portio intus remaneat, quanta ſatis eſt ad vomitum continendum et alvum ſupprimendam.

Vix autem in his vomitoriam ſine noxa aſſumitur; quoniam illud vomitum vehementer intendit; parsque ſanitatis eſt, vomitum eſſe ſuppreſſum.

Quod ſi vero diſcuſſa febre deinde certa indicia ſuperſint, quae, quod vitiata bilis intus remanſit, ſignificent (qualia vero haec ſunt, ſi os amarum adhuc eſt, ſi ſitis urget, ſi nauſea ſupereſt, ſi caput dolet, ſi magna corporis infirmitas etiam poſt aſſumtum multum corticem peruvianum, qui potuit febrim excutere, remanet) utique medicamentum vomitorium non ſine cauſa datur, et tuto offertur, deindeque, ſi quies facta eſt, cortice peruviano continuari debet, donec integra valetudo conſiſtat.

Vere autem febrim intermittentem iſtam Choleram eſſe, noſci per ea ſigna poteſt, quae ſuperiore capite IV comprehenſa ſunt.

AEGROTUS XLVIII. Anno 1753 menſe Iulio foemina annos 44 nata paupercula 8 dies vomitu et alvi deiectionibus continenter vexabatur; cum ſummo calore, ſiti ingenti, lingua arida, fuſcaque, aurium tinnitu et animi ſaepe deliquio.

Intra haec urina nonnunquam turbida evenit, et ſedimentum lateri trito ſimile praecipitavit, ſudor etiam multus erupit, qui febrim intermittentem olebat. Ipſa

quo-

quoque aegra retulit; ſibi intra iſtum morbum vere eſſe, veluti olim fuerat, cum febre intermittente laboraſſet.

Quare et hic corticem peruvianum obtuli, qui et vomitum et alvi fluxum compoſuit, aegramque quam proxime integram praeſtitit.

Alia foemina eadem tempeſtate ſimiliter laborabat, ſimiliter per corticem peruvianum convaluit.

AEGROTUS XLIX. Anno 1754 die 16 Martii foemina 28 annorum procera et fortis ex vehementi dolore colico, qui ſubito occupavit, exitioſe habuit: erat ei vomendi ſaepe deſiderium, ſumma corporis infirmitas, dolor membrorum, facies pallida et vireſcens; cavi oculi, naſus acuminatus frigidusque, oris labia livida, ſpiritus frigidus, reſpiratio denſa, arteriarum pulſus exilis atque frequens, ſudor frigidus tenaxque ſupra cutim, et animi ſaepe deliquium. Vere quemadmodum his, qui accepto veneno exanimantur.

Poſt decocta narcotica et indita ſaepe enemata cum multa putrida infra deſcendiſſent, aliquantum levaminis ſecutum eſt. Die 30 omnis dolor deſiit; urina turbida evenit, cum ſedimento lateri trito ſimili, quaſi ex febre intermittente; ſupervenit univerſi corporis aurigo.

Deinde febris ipſa in certos circuitus diſtinxit ſe. Poſt haec purgata prius alvo omnem curationem cortice peruviano prompte abſolvi.

CAPUT XI.

Febris intermittens, quae Arthritidem mentitur.

Hucusque de febre intermittente dixi, quae uni tantum corporis parti inhaeret, nunc ad eam veniam, quae totis corporibus ineſt. Incipiam ab hac, quae

in

in articulos praecipitat ſe, in iisdemque acutum dolorem excitat, qui ut alteram partem dimittit, alteram iterum prehendit, Arthritidis vagae inſtar.

Memini, anno 1749 aegrum curaſſe me; qui vagum per omnia membra dolorem intra ipſam febrim habuit; eundemque deinde ſub finem acceſſionis et mediis diebus iterum amiſit.

Ita non raro quidem accidit; talisque dolor, propterea quod certum circuitum habet, facile ab unoquoque cognoſcitur, et ut ipſa febris intermittens cortice peruviano excutitur.

At ubi continuus dolor eſt, nec ulla fere febris intermittentis indicia retinuit, poſſet is utique pro vera arthritide haberi, et ſic curationem fallere.

AEGROTUS L. Anno 1753 vir 38 annos natus poſteaquam nocte 12 Iulii levibus tantum veſtimentis velatus frigidiori aëri ſubito comiſit ſe, prius horrorem, deinde dolorem in cervice atque humeris accepit, a quo veluti a ducentarum librarum pondere premebatur continuum inter calorem.

Paulo poſt dolor locum deſeruit, et modo crura, modo pedes, modo manus, modo digitos prehendit, modo etiam collum, atque inter ſcapularia, ex qua parte difficilem reſpirationem effecit, modo novam ſedem dimittens, iterum aliquam ex antiquis occupavit, vago per univerſa corporis membra cruciatu.

Interea autem temporis ſudor febrim intermittentem olens erupit; altero tertioque die urina turbida evenit cum ſedimento lateri trito ſimili, quod matulam albis ſordibus induit.

Ob quam cauſam, quemadmodum ob febrim intermittentem quarto die alvum pharmaco ſubduxi, deindeque febrim (quae poſt purgationem in certum diem ordinemque reſtituit ſe) ſimul et articulorum

tor-

tormentum cortice peruviano quam proxime excuſſi.

Similiter mulier *) male habuit, e cuius altero pede in manum, exque altera manu in pedem dolor cruciatim aſcenderat, deſcenderatque. Neque verum eſt, quod SYDENHAM r) dixit, eſſe tales dolores, ſi quidem poſt febres intermittentes ſuperſunt, ſcorbuticos, ex eo, quod aſſumtus nimius cortex peruvianus eſt, iiſdemque medicamentis antiſcorbuticis occurri debere. Poteſt contra is, etiam qui poſt febrim remanſit, cortice peruviano tuto tolli.

CAPUT XII.

Febris intermittens ſub paſſionis hyſtericae larva.

Febrium autem intermittentium nulla cognitu difficilior eſt, quam quae paſſionis hyſtericae larvam induit: ſiquidem cum iſta quidem mulierum affectio, propterea quod ipſa miras ſaepe atque alienas diverſarum aegrotationum figuras admittit; per ſe ſatis fallax eſt, poteſt utique talis febris, ubi ſimiles notas recepit, Medico vehementer illudere.

Id rectius exemplis quam longo ſermone docebo.

AEGROTUS LI. Anno 1748 die 10 Octobris mulier 34 annorum, quae paſſioni hyſtericae ſubiecta erat, ſubito male habuit; praecordiorum anxietates accepit, difficilem reſpirationem, vocem praeceptam, ſpaſmos in abdomine et borborygmos, colli ſtrangulationem, terrores, phantaſiam depravatam, horripilationes vagas, animi ſaepe deliquium, arteriarum pulſum exilem atque frequentem.

Affe-

*) *AEGROTUS LXXXIII.*
r) *Sect. VI. cap. 5.*

Affectionem utique hyſtericam hanc eſſe ratus, ſpiritu cornu cervi, atque tinctura caſtorei occurri, adiecto laudano liquido, quae aliquantum profeciſſe videbantur. Secuta namque requies eſt, mens rediit, et poſtero die urina tenuis et limpida evenit.

At tertio die ſimilis inſultus prehendit; finitaque acceſſione multus ſudor foetens ex univerſo corpore erupit; quarto, quo die urina ſedimentum lateri trito ſimile depoſuit, alvum pharmaco purgavi; ob id, quod morbus has quidem febris notas recepit. Quinto ſimilis acceſſio tanquam per certum circuitum rediit; quam proximo die ut febrim intermittentem cortice peruviano excuſſi.

Poſt aliquot deinde annos aegram, cum ſimili vitio affecta eſſet, promptius ſanam praeſtiti, propterea quod per iſtam notitiam cauſae origo me non fefellit. Verumque eſt, quod olim A. C. CELSUS dixit s) *cum par ſcientia ſit, utiliorem tamen Medicum eſſe amicum, quam extraneum.*

AEGROTUS LII. Anno 1753 die 28 Februarii virgo 60 annorum, quae, quod mulieres aiebant, olim ſaepe ex utero male habebat, ſubito praecordiorum anxietates accepit dolorem colicum, borborygmos, vomitum, ſpiritum praeceptum, animi ſaepe deliquium, exilem arteriarum pulſum, et frigus in extremis corporis partibus.

Ob quae aegrae corpus pannis laneis fricari, et veſtimentis calefactis circumdari iuſſi, potumque aromaticum, qui calorem excitare poſſit, praeſtiti: ſpiritum item cornu cervi adiecto laudano liquido. His nihil emendatum eſt, acceſſere vigiliae, urina tenuis et aquoſa evenit; nonnunquam etiam accenſus vagus calor eſt. Sicque aliquandiu

s) *Lib. I. in praef.*

Poſt urina ſedimentum lateri trito ſimile depoſuit, et ipſe morbus in certos circuitus diſtingui coepit: finitaque acceſſione multus ſudor erupit febrim intermittentem olens, et os amarum factum eſt.

Quare alvum pharmaco purgavi, et forte excitatas in ventre turbas medicamento paregorico veſperi compoſui; poſtremo morbum ipſum cortice peruviano ſubmovi.

AEGROTUS LIII. Anno 1753 die 8 Maii foemina 38 annorum, ex conſuetudine hyſterica, ſubito ex utero, quod aiunt, praecordiorum anxietates habuit, tormina, arteriarum debilem pulſum, nullum calorem, ſudorem frigidum, nonnunquam urinam tenuem et aquoſam: inter haec acerbam tuſſim cum ſputo flavo, nonnunquam viridi, et gravi ſic ut phthyſica ſuo marito viſa fuerit.

Caſtorei tincturam, ſpiritumque cornu cervi, admiſto laudano liquido medicinae dedi, potui vero decoctum pectorale cum hydromelle et ſyrupo papaveris albi.

Poſt aliquod tempus e lumbis fatigata eſt, os amarum accepit, et urinam, quae ſedimentum lateri trito ſimile depoſuit, emiſit. Ob quas febris intermittentis notas alvum pharmaco ſubduxi, deinde corticem peruvianum praeſtiti; quae medicina primo tuſſim delevit, poſt prompte omnem morbum excuſſit.

AEGROTUS LIV. Anno 1752 die 30. Septembris mulier 38 annorum triduo poſt partum anxietas praecordiorum accepit, ſpiritum difficilem, atque pavores. Quae mala a lacte, quod advenire debebat, eſſe videbantur. Poſt aliquot dies ſimilis anxietas, terror pannicus, et colli ſtrangulatio prehenderunt, cum tenui et aquoſa urina: quae certa hyſtericae paſſionis indicia dicuntur. Interea autem lochiorum fluxus ſatis liberaliter continuavit.

Quare

Quare aquam chamaemeli artemiſiaeque, cum extracto croci, laudano liquido, nitro, lapidibuſque cancrorum medicinae dedi, adiecto ſyrupo radicum quinque aperientium. Scilicet ut per haec et inordinatos motus componerem, et lochiorum fluxum liberaliorem efficerem, et ne lac ab acido, quod fortaſſis ſubeſſet, coagularetur. Sicque puerpera aliquandiu bene habuit.

Deinde vero ſimiles quidem terrores, at magis tamen horrifici modo aequalibus, modo inaequalibus temporibus revenerunt: lochiis nihilominus continenter profluentibus.

Inter haec aegra carnes nauſeare, os amarum accipere, multo ſudore, qui febrim intermittentem olebat, ſaepe immadeſcere, et nonnunquam urinam cum ſedimento lateri trito ſimili emittere.

Per iſta indicia, et quoniam prior medicina non profecerat, cum noviſſem intermittentem hic latere, corticem peruvianum exhibui, qui protinus iuvit et aegram tutam praeſtitit.

Et profecto, etſi quidem frequens mulierum morbus hyſterica paſſio ſit, non tamen is adeo communis eſt, ac quidem vulgus ſibi facile perſuadet; quod, ut mulierem aut ventre dolere, aut animo linqui, aut alio quopiam incerto modo aegrotare videt, affectum ex uteri vitio eſſe ſtatuit. Sed ſaepe febris intermittens iſtius vexae cauſa eſt.

Quare, ubi in his cortex peruvianus interdum profecit, eum ideo profeciſſe ſuſpicor; quoniam febris intermittens uterinae affectionis larvam admiſerat, ob quam rationem exiſtimo eos Medicinae Profeſſores, quos inter princeps SYDENHAM erat, opinione falſos fuiſſe, qui corticem peruvianum tanquam potiſſimum auxilium omnibus hyſtericis mulieribus in univerſum propoſuere. Hos enim ſaepe medendo imitatus

tus ſum, neque unquam, niſi ubi febris ſuberat, curatio ſucceſſit. Praeſtant vectiones in rheda, et ferri pulvis; ſalubrior nonnunquam grata mentis excitatio eſt; ſaepe etiem confert conſuetas olim excretiones, ſi recte fieri liceat, iterum expedire.

CAPUT XIII.

Febris intermittens ſub convulſione latens.

Pueri atque plethorici homines, ubi febre intermittente tentantur, convulſionibus obnoxii ſunt, iterumque ut calor remittit, liberantur. Id minus terret; magis vero ubi convulſiones per certos quidem circuitus prehendunt; at nulla tamen febris intermittentis suſpicio eſt.

AEGROTUS LV. Anno 1748 Virginis 18 annorum univerſum corpus miſere nec minus mire convellebatur. Oris namque labia, nariumque pinni atque oculorum palpebrae continenter nictitabant: brachia item et manus cruraque atque pedes et horum omnes digiti convulſivo motu ſubſiliebant; totus etiam truncus alternatim attollebatur, deprimebaturque; neque ullum univerſi corporis membrum erat, quod non tituaret. Incipiebat autem iſte cruciatus hora quarta promeridiana, et ad horam quartam matutinam usque continuabat. Inde duodecim horas requies erat: intra quam aegra perimbecilla decubuit. Nullum autem cum acceſſione frigus, nullus calor, ſitis nulla erat: neque ipſe etiam arteriarum pulſus alius intra convulſiones quam per requiem erat, ſed ſemper idem, debilis nempe permanſit.

Atque tales quidem acceſſiones novem ordinato cir-

circuitu reverſae ſunt, ſtatutoque temporis puncto, veluti horologium et inceperunt et finierunt:

Ego decima die conſultus ut aegram accepi, morbi curationem, propterea quod is certum circuitum habebat, cortice peruviano intra triduum abſolvi.

AEGROTUS LVI. Anno 1751 die 26 Maii puella 18 annorum ſubito ſtuporem accepit, deinde omnem et brachii et pedis dextri ſenſum amiſit, quaſi apoplectica.

Igitur in praecipiti quoniam periculum videbatur, miſſus protinus e vena ſanguis eſt. Iſtam ſanguinis miſſionem ſecutus morbus caducus eſt.

Altero die cum morbus in remiſſione deſiiſſet, alvum pharmaco purgavi, tertio idem morbus caducus tanquam certo circuitu reverſus eſt, intraque eum ortus calor eſt, os amarum evenit, erupit ſudor febrim olens; ſecuta urina turbida cum ſedimento lateri trito ſimili eſt.

His indiciis febrim intermittentem ſub iſta Epilepſiae larva latere cum cognoviſſem, omnem curationem cortice peruviano abſolvi, qui aegram intra exiguum tempus integram praeſtitit.

An quemadmodum HIPPOCRATES t) voluit, *convulſio in febre fiens ſedat febrim eadem die aut poſtera, aut tertia, ſi vero tempus, in quo incepit, transgrediatur, et non deſinat, malum eſt*. Profecto triduum transgreſſus iſte morbus erat; neque tamen ideo medelam difficulter admiſit.

De qua quidem re ſic iudico, eſſe iſtas convulſiones, propterea quod febris intermittentis miasma vel in nervos ipſos vel in horum principia potiſſimum inclinavit ſe; quos tam diu ita vexat, donec ipſa aut medicinae aut corporis beneficio inde depellatur,

t) *Coac. praenot Sect. I. Idem Lib. de Iudicat.*

quam ſententiam proximum exemplum confirmare videtur.

AEGROTUS LVII. Autumno anni 1753 virum annos 30 natum alterno die ut certo circuitu morbus caducus prehendit, absque ulla alia febris nota. Quoniam iſte vero cruciatus ordinato tempore, quemadmodum febris intermittens accedere conſuevit, utique cortice peruviano curatus eſt.

Superato morbo caduco ortus in ſiniſtro crure acutus dolor eſt, poſt tota iſta corporis pars ad extremos usque pedis digitos paralitica evenit, et omnem carnem amiſit. Utique quoniam vitiata materia, quae caput dimiſit, in nervos ſacros praecipitavit ſe.

Igitur, quoniam noxa ex febre intermittente venerat, ſimiliter cortex peruvianus conveniebat. Eum vero aeger, ut ſummopere metuebat, vehementer repudiavit.

Quare frictionibus et fomentis et acribus rebus externis et ſcarrificationibus cucurbitulisque atque veſicatoriis emplaſtris occurſum eſt; quae quoniam nihil profecerunt, aeger morbum tempori et ſuae patientiae reliquit. Longum deinde poſt tempus omnis cruris et ſenſibilitas et caro et vigor et integra partis facultas absque adhibito quopiam auxilio revenerunt. Naturae utique beneficio, quae noxiam materiam tarde ſubmovit. Sic enim ſaepe profectus tempore expletur.

CAPUT XIV.

Febris intermittens Phthiſi pulmonali ſimillima.

Phthiſicis ſimiles videri poſſunt, qui febre intermittente aut diu laborarunt aut obſcuro modo torpent: quoniam per eam corporis vires dilapſae et

car-

carnes exeſae ſunt. Magis adhuc, ubi aliquantum ex ſebre ſive medicinae ſive naturae beneficio ſuppreſſum eſt; ſic, ut ea neque omnino erumpat, neque aegros ex toto dimittat, maxime vero ubi initio coniunctas acceſſiones habebat. Quod ſi poſtremo aliquis Medicus torpentem talem aegrum ſine originis cognitione accipiat; poſſet illi facile videri, quaſi prior febris alicui viſceri labem reliquiſſet, ob quam univerſum corpus contabeſcat.

Attamen quod febris intermittens ſubſit, ſcire licet, ſi urina turbida evenit et ſedimentum lateri trito ſimile praecipitat, ſi multus ſudor olens erumpit, ſi amarum os eſt, ſi muco plenae fauces ſunt, ſi aeger cibos nauſeat. Talia enim omnino habere phthiſici non conſueſcunt.

Quod ſi vero quotidiana talis quidem febris ſit: haec rectius hecticam referre poſſet. Diſtinguitur nihilominus praeter ea ſigna, quae ſupra comprehenſa ſunt, per calorem ſi is magis exardeſcit et diutius trahit; quam quidem ob hecticam febrim conſueſcit. Saepe etiam ubi febris mane accedit, cum contra hectica veſperi ſuccreſcat.

Haec vulgaria ſunt, et ab unoquoque facile cognoſcuntur. At ubi morbus nullas febris intermittentis notas retinuit, at phthiſin mentitur; magis utique et cognitu et curatu difficilis erit, veluti protinus iungam.

AEGROTUS LVIII. Anno 1753 medio menſe Aprili virginem 24 annorum aegram accepi; quae a longo iam tempore emarcuit, et cutis colorem decoremque amiſit; erat eius facies pallida et aliquantum flava; oculorum palpebrae mane et pedes veſperi circum malleolos tumidi: reſpiratio anheloſa, quae angusta et difficilis evenit, aegra ubi corpus movit; in omni pectoris ambitu dolor erat; mane maximeque

veſperi tuſſis, arteriarum pulſus parvus et frequens; hora tertia poſt meridiem membra inhorruerunt; indeque corpus incaluit, et noctu inſudavit, maximeque circa pectus et cervicem: neque ſudor, veluti a febre intermittente aſſuevit, olebat: neque aegra cibos nauſeabat, ſed eoſdem ſupra conſuetudinem deſiderabat; neque urina rubra neque turbida evenit; neque ſedimentum depoſuit; ſed tenuis, limpida, et ſtraminei coloris manſit.

Huc acceſſit, quod huius aegrae ſoror tabe pulmonali extincta fuerat, et quod eius item pater continenter pus tuſſiendo reddiderat. Ob quae facile videri potuit; quaſi phthiſis pulmonalis in iſta quidem familia haereditarium vitium eſſet: indeque haec ipſa aegra eandem labem accepiſſet.

Cauſae autem originem quaeſiturus relatum accepi, iſtam quidem aegram a ſuperiore menſe Septembri morbum ſentire, poſteaquam corpus, quod ſaltu et ira ante vehementer accenderat, bibendo multam aquam frigidam ſubito refrigeraſſet. Inde febrim initio quidem continenter exarſiſſe, progreſſu vero temporis ordinato modo remiſiſſe per certa intervalla; minus vero feliciter eam a Medico tum proſecutam utique fuiſſe, quod ex ea aegra hucuſque et marceret et torperet.

Cum vero morbi indolem curatius perveſtigaſſem, febrim intermittentem ſub hac tabis figura latere maxime ex his novi, quod talis cauſa anteceſſit, quae febrim intermittentem excitare conſueſcit; quod morbus iuxta ſuum initium certis temporibus intendebatur; quod in iſtis intenſionibus aegra cibos nauſeaverat, et tum urinam craſſam emiſerat, quae ſedimentum lateri trito ſimile praecipitaverat. Aegram vero ideo adhuc aerumnoſe habere, quoniam ob defectum corticis peruviani quaedam febris intermittentis

re-

reliquiae intus remanſerunt, quae carnes et vires hucuſque conſumſerant.

Ob quas rationes multum corticem peruvianum praeſtiti, qui protinus morbum cohibuit. Deinde conſului, ut aegra iſtud auxilium diu continuaret: quod cum expletum fuiſſet, prior corporis decor rediit, et ipſe ſanguis menſtruus, qui quatuor menſes intus retentus erat, iterum liberaliter profluxit.

CAPUT XV.

Febris intermittens ut continua.

Saepe febris intermittens quaſi continua eſt; ſcilicet cum acceſſiones vel protrahuntur, vel ipſae coniunguntur: *Alterum longe pernicioſius, quod tertio quidem die revertitur, ex octo autem et quadraginta horis fere ſex et triginta per acceſſiones occupat (interdum etiam vel minus vel plus) neque ex toto in remiſſione deſiſtit; ſed tantum levius eſt. Id genus plerique Medici ἡμιτριταῖον appellant.* Vel cum vix ulla relinquit tempora remiſſionum; *ſic, ut aliquantum quidem minuatur ex febre, nihilominus tamen quaedam reliquiae remaneant, donec altera acceſſio accedat: ac ſaepe aliae vix quicquam aut nihil remittunt, ſed ita, ut coepere, continuant.* Vel denique ubi acceſſiones confunduntur; *ſic, ut notari neque tempora earum neque ſpatia poſſint*, u).

Talem quoque SYDENHAM deſcripſit x) *eum praemature menſe Iulio v. g. intermittentes autumnales ingrediuntur atque increbreſcunt, non ſtatim genuinum typum induunt (quod intermittentibus vernis quidem ſolenne eſt) ſed continuas febres ita per omnia imitantur, ut, niſi caſtigatiſſimo utraſque examine trutinaveris, ab invicem diſcri-*

u) *A. C. Celſus Lib. III. C.* 3.
x) *Sect. I. paſſim.*

criminari non poſſint, at retuſo pauliſper conſtitutionis impetu, et froenata vi iam in typum regularem migrant, atque exeunte autumno, larva abiecta intermittentes ſe eſſe, quales ab initio reapſe fuerunt, palam fatentur, ſive quartanae illae fuerint, ſive tartianae: quod ſi non diligenter advertimus, cum magno aegrorum noſtrorum malo medicantes hallucinabimur, dum huiuſmodi febres quae ex intermittentium numero ſunt, pro continuis, veris et genuinis habeantur y).

Per commune id febrium genus anno 1749 Moguntiae erat, multaque civium millia prehendit, ne circum in agris colonos numerem; acceſſiones potiſſimum tertianas habuit, nonnunquam quotidianas, quartanas nullas.

Solet initio talis febris et aegrum et Medic m terrere, etſi non plus periculi habeat, quam quaeuin certos circuitus diſtincta eſt, dummodo morbi ratio quam primum cognoſcatur. Secus, aut aegrum cito iugulat, aut lente inveterando extinguit, veluti proximo libro dicam.

Quare plurimum intereſt noſſe, continuane an intermittens talis febris ſit, ſcilicet a qua notitia rectum auxilium peti debet. Itaque ſi calor modo aliquantum remittit, modo iterum intenditur; ſi citius et cum primis diebus multus ſudor ſine cauſa manifeſta et abſque profectu erumpit; ſi talis ſudor febrim intermittentem olet; ſi vultus magis quam intra continentem febrim aſſuevit, flavus eſt; ſi amaum os eſt, et dentes glabri et ſordidae fauces ſunt; ſi minoris notae ſigna, quae ſuperiore capite IV. comprehenſa ſunt, adſunt; ſi autumno poſt fervidam aeſtatem febris prehendit; ſi popularis talis morbus eſt, iſque poſtremo in intermiſſiones exiit; ſi ſimili tempore

y) *Idem Sect. I. Cap. 2.*

tempore multi alii homines febrim intermittentem diſtinctam habent; magis adhuc ſi febrium intenſiones tertium diem ſervant; maxime vero ſi urina turbida evenit, et ſedimentum lateri trito ſimile praecipitat; ſcire licet, febrim, etſi in calore continuet, nihilominus ad intermittentes pertinere.

Quas inter febres praecipua tertiana eſt, ex bile, ſive nimia ſive corrupta, quam fervida menſe Auguſto tempeſtas vitiaverat; ſubflavi enim et levi quaſi aurigine tincti aegri ſunt, os amarum habent, vomere deſiderant, carnes atque ova nauſeant, ſaepe bilem ſupra, ſaepe infra excutiunt; perinde ac multi alii homines ob tertianam exquiſitam conſueſcunt, verumque eſt, quod veteres olim medici dixerunt, a bile tertianam eſſe.

Igitur quocunque tempore aliquantum ex tali febre minutum erit, ſtatim vomitorium medicamentum dari debet, quod vitiatam bilem eiiciat. Poſt talem enim purgationem tempora remiſſionum fiunt liberaliora et febris in certos circuitus diſtinguitur. Neque magna corporis infirmitas, neque frequens animi deliquium terrere quemquam debet; hic enim vomitorium cauſae partem demendo amiſſas vires reſtituit. In his vero iterum ratione utendum eſt: lene enim vomitorium ſufficit ad bilem, quae hic per ſe facile movetur, expellendam, deinde aqua calida ſuperimbibenda: fortius pharmacum nocet, quoniam poſſet nimium concutere, ſicque aegrorum vires vehementer convellere.

Contra vero ſi neglecta iſta medicamentum vomitorium exhibendi opportunitas fuerit, vix remiſſionem morbus oſtendet, ſed in calore continuat. Intra iſtum calorem ſaepe bilis infra ſecedit per putridum alvi profluvium, quod aegri vires maxime conterit. Nihilominus et nunc etiam vomitorio opus eſt, quod

bi-

bilem, quae ſupereſt, per os eiiciat: ſic enim alvus clauditur.

Poſt ubi venter vel per ſe vel per remedium ſatis purgatus erit, cortex peruvianus, quo tempore calor aut ex toto aut aliquantum in remiſſione deſtiterit, dari, ipſaque febris per eas rationes ſubmoveri debet, per quas huic ſuccurri poſſe ſupra poſui y).

Quod ſi vero febris, veluti intra primos potiſſimum dies conſueſcit, exardere continuet; oportebit utique communibus interea remediis (refrigerantibus puta et ſanguinis miſſione) occurrere; usque dum ipſa aliquantum remiſerit, aut talia indicia manifeſtet, per quae, quod intermittens ſit, conſtet.

Id modo ſerius, modo ocius obtinet, prout vel plus vel minus materiae intus manſit, vel recte vel ſiniſtre initio occurſum fuerit. Nonnunquam natura ipſa vel emendando materiam vel aliquam eius portionem expellendo, febrim in acceſſiones ordinat.

Inde communis illa et vulgi et nonnullorum Medicorum opinio utique provenit, per quam ſibi perſuadebant, quaſi continua febris in intermittentem converti poſſet.

Cuius item ſententiae A. C. CELSUS z) fuerat, dum *lentae febres ſine ulla remiſſione corpus tenent; ac neque cibo, neque ulli remedio locus eſt. In hoc caſu Medici cura eſſe debet, ut morbum mutet, fortaſſe enim curationi opportunior fiet. Saepe igitur ex aqua frigida, cui oleum ſit adiectum, corpus eius pertractandum eſt, quoniam interdum ſic evenit, ut horror oriatur et fiat initium novi motus, exque eo cum magis corpus incaluit, ſequatur etiam remiſſio.*

Id vanum eſt, neque niſi aut ignorantia aut dolo

a

y) *Libro I. Cap. 5.*
z) *Lib. III. Cap. 9.*

a quibusdam hodie ſtatuitur. Contra vero poſſe ex intermittente continuam fieri, experientia ſaepe docuit: ſcilicet ubi aut mala vivendi ratio aut calida remedia incendium alebant.

Et profecto eſt iſta quidem febris et percommunis et epidemicorum morborum princeps. Haec illa continua eſt, quae, ut SYDENHAM ſcripſit, in intermittentem abit, et ipſa ſaepe ex intermittente fit *a*).

Primaria naturae febris *b*), ob id quod caeteris et frequentius occurrat, et cum veterum Medicorum effatis, quae ipſi de Criſi reliquerunt, potiſſimum conveniat. In hac ipſa FRACASTORIUS *c*), omnem dierum criticorum rationem collocavit. Hancque omnium ſaepiſſime ſive perfecta ſive imperfecta Criſi, vario modo, diverſoque tempore modo paribus modo imparibus diebus, modo ocius modo ſerius iudicatam fuiſſe vidi. Saepe etiam Criſi omnino caruiſſe, prout vomitorio medicamento et cortice peruviano diverſim occurſum fuit.

Credibile eſt, ſimilem Polycrati et Pythodori apud HIPPOCRATEM febrim fuiſſe *d*), atque eam quam paulo magis ſupra deſcripſit *e*); namque hae exacerbatae fuerunt, *febribus quidem in totum non intermittentibus, ſed quae iuxta naturae febris tertianae morem exacerbarentur*.

Id magis per hoc conſtat, quod iſtae febres non intra breve tempus, intra quod continuae exitum habere conſueſcunt, finem acceperunt, ſed tardius quemadmodum intermittentes trahere conſueſcunt, defierunt: *iudicabantur autem quibus inter hos breviſſimae eſſent*,

a) *Sect. I. Cap.* 3. *et* 4.
b) *Sect. IV. Cap.* 6.
c) *Tract. de dierum critic. cauſis.*
d) *HIPP. de morb. pop. Lib. VII. Sect.* 1.
e) *Ibidem Lib. I. Sect.* 1. *conſtitut. temp. prima.*

eſſent, circa vigeſimum diem; plurimis circa quadrageſimum, multis circa octogeſimum f). Utique quoniam HIPPOCRATES neque corticem peruvianum neque par ei auxilium habebat, quod potuiſſet febrim citius excutere: ob quem defectum debebat morbi exitum ab ipſo naturae beneficio exſpectare, plebis hodie in modum haec ubi tali morbo tentatur.

Quibusdam neque ſic, ſed vago modo, et circa iudicationem deficiebant; horum autem plurimis febres rurſus non multum tempus intermittentes reverſae ſunt: ex qua recidiva ſcire licet, priorum febrim ex intermittentium genere fuiſſe. *Ex recidivis autem in iisdem circuitibus iudicabantur. Multis vero ipſorum producebantur, ut ſub hyemem aegrotarent:* ſimiliter ac intermittente exquiſita laborantibus contingere conſueſcit.

Atque iſtas quidem febres cortex peruvianus tollit. Tollit etiam continuas, quas συνεσχεῖς olim appellabant, et continuas remittentes hodie nominant: quoniam eae, etſi enim continenter exardeſcant, nihilominus per ſe intermittentes ſunt; utique quae eo potiſſimum tempore accedunt, quo exquiſitae intermittentes communes eſſe conſueſcunt. Id experientia in ipſis curationibus ſaepiſſime docuit.

Ego non alias continuas febres (quarum profecto plurimas agitavi) quam ex intermittentium indole cognovi: quae res facile ab unoquoque deprehendi poteſt, maximeque ſub morbi exitu. Cuius item rei experientiam habuit RICHARDUS MORTON et FRANCISCUS TORTI. Ob quae exiſtimo, duo tantum febrium genera eſſe; alterum intermittentium, alterum continentium.

AEGROTUS LIX. Anno 1753 die ſeptima Iunii fervida tempeſtate Iuvenis 23 annorum, macer et

f) HIPP. Lib. 1. Sect. 1. conſtitut. temp. prima.

et ſanguine plenus, protinus vires et edendi deſiderium amiſit; torpuit, totoque corpore laſſitudinem ſenſit, noctu graviorem ſomnum, altero die vehementem calorem habuit, ſitim magnam et inquietudines; intentae arteriae ſunt, et totum corpus quaſi fatigatum eſt; acceſſit iuxta Hypochondrium ſiniſtrum dolor, qui totum deinde pectus occupavit, et laborioſum ſpiritum effecit; retracti oculi ſunt, et facta facies livida eſt: urina vero tenuis atque limpida manſit.

Miſſus e vena iterumque miſſus ſanguis eſt; qui flavam aquam ut bilem habuit, et praeſtita refrigerantia auxilia ſunt: ſecutus vomitus bilioſus eſt; noctu delirium; tertio die vehemens ardor, intra quem extractus iterum e vena ſanguis eſt: poſt, narium haemorrhagia, bilis item vomitus continuavit, et inquietudo. Media nocte multus ſudor ex univerſo corpore erupit; qui die quarto latius aliquod remiſſionis ſpatium reliquit, intra quod oblatum vomitorium eſt, quod multam rurſum bilem excuſſit.

Proxima nocte maior infirmitas, ſequente die quinto vehemens calor, intentus lateris atque praecordiorum dolor cum multa animi inquietudine et corporis iactatione. Inter haec urina tenuis, qualis ante fuerat, continuavit: deindeque multus iterum ſudor erupit, febrim intermittentem olens et aliquod remiſſionis ſpatium die ſexto reliquit.

Ob talem ſudorem, et quoniam exacerbationes certum tempus ſervaſſe videbantur, corticem peruvianum medicinae dedi, qui febrim quam proxime delevit, et aegrum die nono integrum reſtituit.

AEGROTUS LX. Anno 1753 initio menſis Martii vidua paupercula 38 annos nata morbo caduco ex conſuetudine affecta iterum convelli coepit, deinde

extus

extus friguit, intus calor ſimul vehementer inarſit; cum ſiti inexplebili et ſpirandi difficultate. Ob quae ſanguinem e vena miſit, et potum calidum liberaliter bibit, ſicque aliquantum evenit, et rectius ſpiravit quidem, at aridam tuſſim retinuit; ob quam ei molles herbas ex aqua coctas praeſtiti adiecto oxymelle et nitro.

Proxima nocte maior infirmitas erat, deliriumque. Altera die mens quidem conſtitit, at facta ſumma corporis fatigatio eſt; frigus in extremis partibus, magna ſitis, fauces aridae, arteriarum pulſus exilis, deliquium animi, urina tenuis. Sicque morbus continuavit ſine ulla remiſſione.

Poſt quintum diem morbus alterno veluti circuitu modo intendi videbatur, modo demitti, intraque iſtas acceſſiones arteriarum pulſus magis plenus evenit, et ſudor olens erupit: manente tenui limpidaque urina.

Tandem die octavo facta urina turbida eſt, et ſedimentum lateri trito ſimile, quemadmodum a febre intermittente depoſuit.

Ob quas notas corticem peruvianum liberaliter obtuli, qui aegram intra breve tempus ſanam effecit, quae paulo ante diem fere egit extremum.

De qua quidem febrium ſpecie ſic iudico, continuam eam eſſe, ob id quod vitiata materia (febris fomes) vel exuberat, vel acrior eſt, vel alicui potiſſimum viſceri plurima inhaeret. Contra vero intermittere, atque in certos circuitus diſtingui, ubi talis materiei vel minus adeſt, vel ipſa univerſum corpus mitius habet. Ipſamque continuam, quae eſt, deinde in certos circuitus explicare ſe, quando aliqua eiusdem materiei portio cocta motaque ſive per vomitum ſive per alvi profluvium, ſive per ſudorem, ſive per ulcera abſceſſit.

Illud

Illud aeſtate potiſſimum anno 1753 vidi, qua tempeſtate magnus calor cum fuiſſet, febris continua popularis exſtiterat. Initio frigus erat, ſecutus calor eſt, qui continenter quatriduum exarſit; intra iſtum calorem nauſea erat, ſitis, facies flava et vomendi deſiderium, urina item rubra et transparens.

Quinto die ulcera iuxta oris labia maximeque ſecundum nares eruperunt, protinusque ex his febris ipſa in calore remiſit, atque in certos circuitus diſtinxit ſe; urinaque turbida evenit, atque ſedimentum lateri trito ſimile praecipitavit, deinde, ut perfectum pus eſt, et ſanata ulcera ſunt, febris ipſa ex toto deſiit.

Quotquot autem ex his corticem peruvianum ad confirmandam bonam valetudinem impoſterum aſſumſerunt, tuti manſerunt, qui non aſſumſerunt, non multum temporis poſt in tertianam exquiſitam reciderunt, cuius acceſſiones alicui priorum reſponderunt.

Atque talis quidem continuae febris cum intermittente communis conditio eſt.

At continens febris quam *συνόσχον* vocant, diverſae indolis eſt, propterea quod diverſas cauſas habet: obque eas vix curationem a cortice peruviano recipit. Nihilominus poteſt etiam haec ſuam ab intermittentis materia, ſi exceſſit, aut cum alio quopiam vitio convenit, originem habere.

Talem morbum anno 1755 a media hyeme in ver usque vidi. Initio frigus erat, deinde calor continens, vomendi deſiderium, aphthae ſupra linguam et fauces circum, nonnunquam tuſſis ſputum tenax trahens: inter haec ſaepe ſudor, febrim intermittentem olens, absque levamine; delirium vel 14 vel 18 dierum; nulla neque anguſta neque laborioſa reſpiratio; morbi exitus die 21 absque criſi manifeſta: a

 me-

medio morbo ad eius exitum usque urina turbida evenit et ſedimentum lateri trito ſimile depoſuit; quae certiſſima fere febris intermittentis nota eſt.

Inter haec multi alii homines eodem anni tempore, ulcera iuxta labia, alii ambuſtiones ad manus, alii ad pedes ex morbo acceperunt; quae quidem eruptiones vix ad alium morbum quam ad intermittentem pertinent. Ob quam rationem iudico, ſuperiorem febrim continentem excitatam quidem ab intermittentis materie fuiſſe, in eo autem ſolam differentiam conſtitiſſe, quod quoniam vitii cauſa exuberaverat, morbus in certos circuitus non explicuerit ſe.

Illud proximo exemplo latius patebit.

AEGROTUS LXI. Anno 1756 menſe Auguſto, vir 40 annorum, quemadmodum ex febre intermittente cibos nauſeabat, ſitim, vultum ſubflavum, os amarum, et ſordidas fauces habebat, ob quae vomitorium medicamentum aſſumſit, quod, ut multam bilem excuſſit, hominem integrum reſtituit.

Poſt 6 dies reverſa ſimilis infirmitas eſt; ob quam alvus pharmaco ſubmota eſt, quae decem itibus multa putrida emiſit: finitaque iſta purgatione febris in certos circuitus tertio quoque die explicuit ſe.

Igitur cortice peruviano tunc ſuccurrendum eſſe putavi. At praeter opinionem et absque manifeſta ratione iſta febris quatuordecim dies in calore continenter exarſit, intra quem aeger phreniticorum more continuo deliravit. Ob quam cauſam ſanguinis miſſione et refrigerantibus auxiliis occurſum eſt.

Apparuerunt deinde ſigna, quae, quod impura aegri praecordia eſſent, indicabant. Ob quae enematibus ſubventum eſt; quae, ut multa putrida ſubtraxerunt, multum ex delirio minuerunt. Poſt haec

datum

datum purgans pharmacum eſt, quod multa vehementer putrida excuſſit, ſimul et calorem atque delirium extinxit. Haec cum profectui fuiſſent, fortius item purgans exhibui, quod quam plurima vehementer putrida ſubmovit.

Expurgata ita alvo rurſum febris tertiana per diſtinctos circuitus provenit, quam deinde cortice peruviano excuſſi.

Excuſſa febre brachium ſiniſtrum ad extremos usque digitos intumuit, iuxtaque ſternum ortus magnus abſceſſus eſt: utique a febris materia, quae ſuas reliquias eo depoſuit.

Ex quibus iterum patet, poſſe febrim continentem excitari ab intermittentis materia, ſiquidem ea vel exuberat, vel aliam cauſam, cum qua convenit, exagitat.

Ita ſaepe paraphrenitidem poſt purgatam ſatis alvum atque praecordia vidi, in tertianae febris regulares acceſſiones deſiiſſe. Eſſe vero paraphrenitidem ab impura colluvie, quae circum praecordia coivit, alibi a me dictum eſt. Neque verum eſt, quod dicitur a quibusdam, nullam paraphrenitidem niſi ex inflammato diaphragmate eſſe. Non enim de re, ſed de verbo controverſiam movent, qui id ſuſtinent. Porro noſſe refert, eos quorum febris intermittens, ſive ob id quod inveteravit, ſive ob malam vivendi rationem converſa in continentem eſt, deinde ubi per ſanguinis miſſionem atque refrigerantia auxilia ex ea revenerunt, vix ulli impoſterum intermittentis recidivae obnoxios fuiſſe, ſed fere tutos manſiſſe. Quaſi febris materia per continentem iſtum aeſtum confracta magis atque contrita fuiſſet, ſicque omnis expulſa.

Et hic iterum quaeritur, in tali febre continenti, propterea quod ſuum ab intermittente ortum ha-

bebat, corticene peruviano obveniri debeat, an communibus auxiliis; refrigerantibus puta et mittendo ſaepe ſanguinem?

Ego quidem corticem peruvianum extreme convenire iudico, ſi febris intermittens quam proxime anteceſſit: veluti nunc dicam.

AEGROTUS LXII. Anno 1749 die 20 Auguſti faemina 20 annos nata, integro fere anno febre intermittente quartana laborabat; intraque id temporis utero conceperat. Verſa deinde intermittens febris in continentem eſt; in ipſaque acceſſione aegra protinus deſipuit, et reſpirationem ſtertoroſam accepit cum oculis pulverulentis et conniventibus palpebris: facta oris labia nigra ſunt, et lingua atque fauces aphthoſae et nares ſiccae et vox clangodes: acceſſit putridum alvi profluvium; ipſaeque foeces atque urina ſine ſenſu exiverunt; ſubſiliebant item tendines et arteriarum pulſus frequens atque inaequalis erat: rigidae item maxillae. Atque in tali ſtatu aegra trium dierum tempore ſtipitis inſtar immota decubuit, non multum a morte diſtans. *Quaecunque utero habentes a febribus corripiuntur et fortiter attenuantur ſine manifeſta occaſione, difficulter pariunt, et periculoſe, aut abortum facientes periclitantur* g).

Relatum etiam accepi, urinam, quam aegra proxime ante iſtam acceſſionem reddiderat, turbidam fuiſſe, atque ſedimentum lateri trito ſimile habuiſſe. Ob quae etiam iſtum morbum a febris intermittentis materia potiſſimum eſſe, ratus ſalutem (ſi quam ſperare liceret) a cortice peruviano petendam eſſe putavi.

Itaque rigidas aegrae maxillas vi diduxi, interque eas corticis peruviani extractum, quod aqua ante

g) *HIPP. Lib. Aph. Sect. V. aphor.* 55.

te dilutum erat, ex cochleari demiſi, qua opera et quo labore poſt tertiam noctem mens rediit, aegraque partum ſeptimeſtrem enixa eſt, cumque deinde corticem peruvianum aſſumere continuaſſet, convaluit recidivae expers.

AEGROTUS LXIII. Puer quinquennis anno 1765 exeunte aeſtate ſebre intermittente modo quotidiana, modo tertiana, modo quartana, hacque modo ſimplici modo duplici nunc laborabat, nunc poſt adhibita auxilia carebat iterum, donec ita trahendo durum lienis tumorem accepiſſet. Sub finem autumni expulſa per corticem peruvianum febris quidem eſt; attamen remanſit et durus lienis tumor, et malus aliquamdiu corporis habitus.

Initio ſequentis hyemis eum pleuritis prehendit, inque affecto latere vehemens dolor preſſit, cum tuſſi ſicca, laborioſa reſpiratione, arteriarum celeri pulſu, exacerbatione febrili circa veſperum, genis rubris atque delirio.

Quare ſecta bis vena eſt, ex eademque miſſus ſanguis cruſtam habuit. Impoſitae affecto lateri molles herbae ex aqua coctae, data medicamenta refrigerantia, cum ſorbitionibus, et applicata emplaſtra veſicatoria ſunt. Poſteaquam aeger ab iſto morbo evenit, duro lienis tumore impoſterum liber et recidivae expers erat.

Exiſtimo febres intermittentes ſi verſae in continentem ſunt, ideo recidivas non relinquere, quoniam ſic vitioſa materia continenter itaque ex toto coquitur atque expungitur: intermittentes vero ideo recidivis obnoxias eſſe, quoniam in his interrupta per media inter acceſſiones intervalla coctio eſt. Ideo fortaſſis quartana difficilior eſt. Quo magis vero intermittens ad continuam vergit, eo magis ea coquit. Non igitur malum, quod metuunt, ſed bonum omen

eſt, ſi aliqua febris duplex evenit, ſignificat enim; quod materia mota ſit, et ſic curationi opportunior evenerit. Veluti id ſupra *) propoſitum eſt.

CAPUT XVI.

Febris intermittens anomala.

Hactenus de febre dixi, quae ordinatas acceſſiones ſervavit, aut ſi non ſervavit, aliquas tamen intermittentis notas retinuit. Nunc ad eam veniam, quae certum circuitum non habet, ſed inordinate modo hoc, modo illo tempore accedit, obque id febris vaga, febris incerta, febris anomala a Medicis appellatur; erronea ab HIPPOCRATE *h*).

Huius duo potiſſimum genera ſunt: alterum, quod ſimiles quidem acceſſiones habet, at diverſis tamen temporibus; alterum, quod neque diſtinctas acceſſiones neque frigus ante habet, ſed ut incepit, protinus in calore continuat et modo plus, modo minus exardeſcit. Hocque vix ſolum prehendit, ſed alicui alteri morbo, qui cum calore eſt, iungit ſe. Puerperas ſaepe afficit, easdemque, quod lochiorum exitum impedit, exitioſe habet. *Interdum vero acceſſiones quoque confunduntur, ſic ut notari neque tempora neque ſpatia poſſint. Neque verum eſt, quod dicitur a quibuſdam, nullam febrim inordinatam eſſe, niſi aut ex vomica, aut ex inflammatione, aut ex ulcere. Facilior enim ſemper curatio foret, ſi hoc verum eſſet. Neque de re, ſed de verbo controverſiam movent, qui cum aliter aliterque in eodem morbo febres accedunt, non eaſdem inordinate redire, ſed alias aliaſque ſubinde oriri dicunt i*).

Quare,

*) *AEGROT. IV. et XII.*

h) *De morb. Popul. Lib. I. Sect. II. Item. Lib. III. Sect. 3. in conſtit. temp. peſtil. ibidem Lib. IV.*

i) *A. C. CELSUS Lib. III. Cap. 3.*

Quare, inordinata aliqua febris ubi occurrit, attendi debet, an ad intermittentes pertineat. Id per eas potiſſimum notas cognoſci poterit, quae ſuperiore libro comprehenſae ſunt, maximeque ſi calor, in certo quamvis tempore nihilominus per intervalla deſiſtit.

Quod ſi vero ne id quidem obtineat; febriſque ne in vagas quidem acceſſiones diſtinguat ſe, vel ullo tempore efflagreſcat; ſed uti coepit, lente trahens continuet; ſi, quemadmodum caeterae intemittentes poſt purgantia remedia neque exacerbeſcat, neque in diſtinctas acceſſiones explicet ſe, cognitu magis difficilis erit.

Interea talis febris, donec eius cauſa inventa fuerit, ſerpit, aegrumque diu trahendo debilitat, conterit, atque conſumit; poſtremo viſcerum tumores, icterum, oedema, atque hydropem inducendo eundem opprimit.

Quare magnopere ad ea ſigna adverti debet, quae intermittentem non dimittunt: ſcilicet ſi aeger ſimiliter habet, ac qui ob febris intermittentis reliquias languet: ſi moderatus calor eſt, et nullus horror anteceſſit; ſi corpus ſaepe ſudore immadeſcit, maximeque poſt potum calidum; ſi aeger nullos cibos deſiderat; carnes autem nauſeat; ſi vinum album rhenanum vel nimis acidum vel vappidum exiſtimat, et panem triticeum amarum, ſecalinum vero acidum putat, propriae linguae vitio; ſi ſiticuloſus eſt, ſi capite dolet, ſi corpus torpet, et membra quaſi fatigata ſunt, ſi gravior ſomnus premit, et tumultuoſa ſomnia ſunt, ſi corpus ſupra conſuetudinem incaluit, neque tamen, quemadmodum ex manifeſta febre, ardet, ſi intentae arteriae ſunt, et citius, quam aſſueverunt, pulſant, ſi ſordidae fauces ſunt, et anima foetet veluti a ieiunio. Quae inter ſolet urina flammea

eſſe, et tranſparens manere, nonnunquam tamen turbida ea evenit, et ſedimentum lateri trito ſimile praecipitat.

Quod ſi vero etiam iſta ſigna deficiant, perquirendum eſt, an eodem anni tempore multi alii homines febre intermittente exquiſita laborent? An orta ſine alio quopiam morbo et abſque manifeſta cauſa infirmitas ſit? An aeger ſuperioribus annis febre intermittente laborare conſueverit? An aliqua talis cauſa anteceſſerit, quam febris intermittens ſequi ſolet? Si illius morbi, cuius figuram febris aſſumſit, propria ſigna deſint, et loco eorum aliena appareant? An aeger ex tempeſtate magis quam ſanus quiſpiam inhorrescat? An ſaepe et vago quidem modo abſque manifeſta ratione afflagrescat? An iuxta focum magis quam ſanus inardeſcat? An lienis durus tumor, quem olim febris reliquit, increſcat? Aut talis novus oriatur? An in vitiata aliqua corporis parte ſimilis dolor, ut olim intra febrim, nunc iterum premat? An pedes maxime iuxta malleolos aquam inter cutim accipiant ſine manifeſta cauſa? An vultus, maximeque circum oculos impalleſcat adiuncto cutis flavo colore? Suſpicio eſt, febrim intermittentem in cauſa eſſe; maximeque ubi urina ſedimentum lateri trito ſimile praecipitat. Per iſtud enim ſedimentum SYDENHAM *k*) febrim intermittentem, etiam quae extreme abſcondita erat, cognovit. Scire autem refert, nonnunquam urinam flavam et crudam manere, neque niſi poſt aſſumtam aliquam corticis portionem tale ſedimentum praecipitare: nonnunquam etiam poſt iſtud auxilium ſanorum urinae ſimilem eam evenire abſque depoſito aliquo ante ſedimento. Quae res digna Medicorum animadverſione eſt.

AE-

k) *Epiſt. I. respons.*

AEGROTUS LXIV. Anno 1753 die 6 Octobris vir 48 annorum quatuordecim dies levem calorem, ſiccum os, ſitim, et graviora membra habebat; cibos maximeque carnes nauſeabat; vultu pallidus erat, e lumbis atque femoribus fatigatus torpuit, lectum tamen non tenuit: inter haec nonnunquam magis inardebat; caeterum arteriarum pulſum, ut ſanus quispiam habebat; facile a potu calido inſudabat; vinum album rhenanum vappidum, ſecalinus panis quaſi acidus, triticeus vero amarus ipſi guſtanti videbatur. Urinam aeger tenuem emittebat, nuncque ſibi fere eſſe aiebat, quemadmodum olim fuerat, quo tempore febre intermittente laboraverat.

Ob iſta indicia corticem peruvianum medicinae dedi, qui (quod nonnunquam evenit) alvum tres dies laxam effecit: deindeque morbum excuſſit. Urina item intra iſtam curationem turbida evenit, et ſedimentum lateri trito ſimile praecipitavit; poſt, ubi ad ſanitatem perventum eſt, iterum pellucida facta eſt.

Vidi talem morbum modo pro Tabe, modo pro Cachexia, modo quaſi ex hypochondriis, aut ex moerore, aut ex ſuppreſſis menſibus eſſet, habitum atque diverſis remediis aliter atque aliter male agitatum fuiſſe.

AEGROTUS LXV. Puella annos 20 nata perhumilis ſtaturae, compernis atque depigis et vitiati caeterum corporis habitus menſtruum ſanguinis fluxum ex aegrotatione amiſit, et aliquamdiu vitam aerumnoſam traxit, ob quam cauſam multa atque diverſa remedia, praeprimis calida adhibuit, a quibus poſt longum tempus eveniſſe videbatur.

Deinde vero ut carnem ſale et fumo conditam ſupra modum comedit, recidit, et quemadmodum tabida diu decubuit. Cum

Cum die 9 Octobris anni 1754 iſtam aegram accepiſſem, erat ei magna corporis infirmitas, pallida et paululum tumida facies, arteriarum pulſus parvus et frequens, difficilis ſpiritus, tuſſis, quae magis mane et veſperi preſſit, neque ſputum traxit, ex decubitu in dextrum latus, ſpiritus praeceptus, anguſtiae et peracerba tuſſis, inſuper noctu ſudor caput iuxta et collum defluus, interdiu frigidus et viſcidus ſupra manus.

Inter haec aegra neque ſitivit, neque os amarum habuit, neque certo tempore vel friguit vel incaluit, neque carnes neque alios quospiam cibos, etſi non deſideraſſet, quicquam nauſeavit, urina rubra evenit, et ſedimentum lateri trito ſimile demiſit; aegra item, ut narratum accepi, ſine cauſa manifeſta vomuit.

Febrim intermittentem iſtum morbum eſſe, maxime ex his iudicavi: quoniam urina ſedimentum veluti lateritium depoſuit; quoniam aegra ſine manifeſta ratione vomuit, quoniam hic ipſe morbus (quem in primo circuitu pro febre ardente habebant) longius quam quidem febris ardens conſueſcit, tempus impleverat, quoniam aegra ab ultimo iſto morbi tractu, qui phthiſi pulmonali ſimilis videbatur, minus quam a vera phthiſi conſumpta erat; denique quoniam aegra ob talem cauſam, qualis febrim intermittentem revocare conſueſcit, recidivam paſſa eſt, ciborum ſcilicet propter incontinentiam.

Ob quas rationes corticem peruvianum praeſtiti, poſt quem urina die quarto transparens, etſi rubra, manſit. Die quinto potuit aegra erecta ſedere, vertiginis minus habuit, et ſomni plus. Urina item tenuis evenit.

Sexto die orta nauſea levisque vomitus eſt: ob quem purgans pharmacum praeſtiti, quod quicquid

im-

impuri intus ſupereſſet, idem ſubtraheret. Purgata alvo urina iterum (quemadmodum iuxta febres intermittentes ſaepe evenit) turbida facta eſt, et ſedimentum lateri trito ſimile depoſuit.

Poſt iterum cortex datus eſt; qui primo tuſſim compoſuit, deinde ſomnum reſtituit, poſtea ſpiritum liberum, edendi deſiderium, denique integram valetudinem effecit.

Nonnunquam ita abſcondita febris eſt, ut vix cognoſci queat. Nullum namque neque frigus adeſt, neque horror; neque multum caloris ſitisve, nec dolor capitis, nec multus ſudor, nec is, ſi eſt, olet; noctu aeger dormit, interdiu etiam obambulat; non vomiturit; cibos non nauſeat; neque tamen eosdem ut ſanus deſiderat, dubia ſe eſſe valetudine ait; neque tamen putat aegrotare ſe; nihilominus ſentit, quod non integre valeat.

Ubi hoc dubium eſt, et cauſa incognita manet, communibus remediis inſiſtere expedit. Quod ſi etiam per haec morbus nec moveatur nec explicet ſe, corticem peruvianum dare convenit et videre, utrum iuvet an offendat, num quid mutet. Neque enim temerarius iſte curandi modus appellari poterit: ſiquidem cortex peruvianus hos ſi non adiuvat, non laedit. Ad hoc unicum, ne longior ſim, exemplum ſufficiat.

AEGROTUS LXVI. Vidua iuvenis, quae nullo ante morbo laboraverat, anno 1749 languere coepit, cibos minus appetere; quos etſi non nauſeaſſet, tamen absque ſaporis gratia comedit, debilis quidem, at lectum non occupavit, ſed obambulabat, ſuaque munia peregit minus firmo tantum corpore: non caluit, ſed paulo plus quam ſana friguit; pulſum lentum, caput grave, linguam mane ſordidam, vultum ſubflavum, oculosque languidos habuit: aquam

item

item inter pedum cutim: corpus contra conſuetudinem emacuit, et animus torpuit. Sicque tres menſes.

Amicis atque proximis iſte quidem morbus ex vehementi moerore, quem ſubita amatiſſimi mariti mors non ita pridem excitaverat, proveniſſe videbatur: metuentes, ne ſequeretur hydrops, qui vitae ſimul et triſtitiae finem faceret. Idque veriſimile erat.

Propterea autem quod aegra vultum paulo magis flavum et ſordidam linguam habebat, febrim intermittentem ſubeſſe ratus ſum: etſi urina tenuis, flava atque cruda, qualis ſaepe mediis inter quartanas acceſſiones diebus eſt, hucusque manſiſſet. Ideoque alvum prius pharmaco ſubduxi, deinde diaetam quae febre intermittente laborantibus convenit, imperavi, et extractum corticis peruviani medicinae dedi. Poſt quod auxilium proximo die urina turbida evenit, et ſedimentum lateri trito ſimile praecipitavit, atque pingui pelle matulam intus obduxit.

Per iſtud indicium cum profeciſſe me noviſſem, corticem peruvianum impoſterum liberaliter praeſtiti, qui morbum quam proxime excuſſit.

Reverſum primo edendi deſiderium eſt, deinde fames; corpus robur atque lautum habitum, vultus etiam colorem decoremque accepit, urina poſt multum ſedimentum iterum tenuis et limpida evenit, et omnem pedum tumorem ſubtraxit.

Multos tales aegros, quorum alii medicamentis purgantibus, alii vino medicato, alii extractis amaris, alii diverſis aliis remediis diu et fruſtra ante agitati fuerunt, deinde cortice peruviano prompte perſanavi. Nonnulli ex his etſi pauci ſine manifeſta ratione evenerunt; ſive quod purgantia, ſive quod amara remedia, ſive quod tempus aut inedia ipſos

ad-

adiuvit. Perinde ac talia auxilia ipſam ſebrim intermittentem exquiſitam quandoque vincunt. At ſolebant iſti quidem infirmam impoſterum valetudinem diu trahere.

CAPUT XVII.

Febris intermittens, quae unica acceſſione abſolvitur.

Nonnunquam febris intermittens unico circuitu abſolvitur; ubi intra eum vitiatam ſuam materiam ad externam aliquam corporis partem ceu iuxta manus pedesve ceu guttur faucesque, ſaepius vero ad oris labia pellit, exque his facto prius pure effudit.

Ubi ita brevem exitum febris ſumſit, facile pro ephemera habetur, ob id, quod vix 24 horas calore implevit, eryſipelata vero vulgus imperite vocat, propterea quod poſt brevem calorem orta in ſumma cute exulceratio eſt.

Febrim autem intermittentem ipſam eſſe, ex his ſatis ſuperque colligere licet; quod tales quidem aegri perinde ac ii, qui plures acceſſiones per certos circuitus paſſi ſunt, habent. Initio enim ſimiliter frigent, ſequitur calor cum vomendi deſiderio, deinde ardor, nauſea, ſitis, totius corporis maximeque e lumbis fatigatio; os amarum, ſordes ſupra linguam atque dentes circum: finito calore ſudor erumpit; febrim intermittentem olens; urina turbida evenit, et ſedimentum lateri trito ſimile praecipitat. Expirata febre aegri aliquamdiu imbecilli manent, et ſubflavam vultus cutim habent, maximeque ſecundum oculorum palpebras, neque eo usque cibos deſiderant.

Adde, nonnullos ex his etiam poſt talia ulcera diu torpere; alios item non multum poſt tempus in febrim

febrim intermittentem exquiſitam (maximeque tertianam) quae priori acceſſioni reſpondet, recidere. Perinde ac ii, qui ex febre intermittente exquiſita non omnino evenere.

Hi recte cum iis comparari poſſunt, de quibus ſupra *l*) dixi, quod quatuor continuo dies calore exarſerint, deinde ortis iuxta labia ulceribus a febre evenerint quidem, ſic tamen, ut aliqui ex his poſtea in intermittentem exquiſitam relapſi fuerint. Verumque eſt, quod olim HIPPOCRATES dubitans dixit: *Febres, in quibus ulcerantur labia fortaſſis intermittentes m*).

Quod ſi vitiata materia omnis in labia inclinat ſe, exque his perfectum exitum ſumit, integra valetudo quam proxime ſequetur. Quibus vero quaedam reliquiae intus remanent, hi aut diu impoſterum torpent, aut facile in febrim intermittentem relabuntur, veluti ſuperiore libro Capite IV. de criſi prolatis in medium exemplis dixi.

Igitur illi, qui poſt talem acceſſionem imbecilli manent, debent medicamentum vomitorium accipere; deindeque per eas rationes curari, per quas febrim intermittentem ſubmoveri poſſe ſupra poſui.

Neque alienum erit his, qui pro integris habentur corticem peruvianum offerre, ne facile relabantur. *Poteſt enim morbus, etiam qui per ſe finem habiturus eſt, citius tamen adhibito auxilio tolli; quod duabus de cauſis neceſſarium eſt: et ut quam primum bona valetudo contingat, et ne morbus qui remanet, iterum, quamvis levi de cauſa, exaſperetur n*).

l) *Capite XV.*
m) *De morb. pop. Lib. VII. Sect.* 8.
n) *A. C. CELSUS Lib. II. Cap.* 14.

Finis Libri II.

OBSERVATIONUM MEDICINALIUM DE FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS

LIBER III.

CAPUT I.

Tumor abdominis a febre intermittente.

Poſtremo vitia, quae febris intermittens reliquit, privatam quoque conſiderationem ſibi vindicant. Ex quibus alia certis partibus aſſignari poſſunt, alia toti corpori inhaerent. Incipiam ab his, quae ſunt in imo ventre.

Saepe a febre, propterea quod ea inveteravit, tumidus, duruſque venter remanet. Huic vitio magis, quam adulti obnoxii infantes ſunt: ob id quod aut non ſatis contineri poſſunt, aut medicamenta non libenter accipiunt, quae febrim excutere poſſunt.

Vitium in liene reſidet, qui durus tumiduſque eſt

eſt *o*). Vidi poſt febrim intermittentem, quam magnae ſtaturae vir diu traxit, lienem omne illud abdominis ſpatium, quod Diaphragma inter et Criſtam oſſis Ilei atque dorſi ſpinam et ventris albam lineam eſt, non ſolum impleviſſe, ſed et ſuperaſſe.

Iſtum tumorem Noſtrates *einen Fieberkuchen* ſeu *placentam febrilem* vocant; cum quoniam eum febris effecit, tum quoniam idem placentam figura refert. Talem aliquem ſcabrum et quemadmodum vitulinum renem, interſectionibus diſtinctum deprehendi.

Non omnino periculo vacat, dum mole atque pondere vicina viſcera comprimit; humorum circuitum atque ſecretionem vitiat; alimentorum digeſtionem perdit; impeditque quominus Chylus cum Lympha in ipſis vaſis lacteis atque thoracico ductu recte commiſceri queat: ex quibus nutrimenti penuria eſt. Imperfectam item et laborioſam reſpirationem effecit; quae non poteſt chylum ſanguini nectere, ſicque vitiata nutritione ſequitur tabes, hydrops, et denique mors.

Peior magnus, quam parvus iſte tumor eſt. Recens citius, quam qui diu inſedit, diſſipari poteſt. Veteranus vix integram curationem recipit: poteſt quidem multum ex eo naturae beneficio minui, nunquam vero adultos homines ex toto dimittit; dimittit autem ſaepius infantes.

Quibus talis a febre tumor remanſit, hi in eodem etiam, ſi poſt multos annos in febrim intermittentem relabuntur, iterum dolorem et primum febris impetum perſentiſcunt, idemque inſcreſcit. Quod ideo ſcitu neceſſarium eſt, quoniam ex eo maximeque ubi obſcurae febres prehendunt, ante noſci poteſt febris, quae

o) *Galenus method. med. ad Glaucon. Lib. I. Cap. 9.*
Morgagni de ſedibus morb. Epiſt. XXXVI. Nro. 18.
De la Motte Trait. compl. de Chirurgie Tom. II. Obs. 124.

quae incipit, an intermittens ſit. In continuis enim non ſic.

Si talis febris quamprimum excutitur, ipſe quoque tumor iterum deſcreſcit, atque ad priorem molem, qualem ante habebat, recedit. Contra ſi diu occupavit, ipſe tumor, quantus per morbum interea increvit, tantus impoſterum manet.

Itaque talis tumor, propterea quod ortum atque incrementum a febre intermittente accepit, utique cortice peruviano curari debet, ſcilicet qui poteſt ipſam vitii cauſam expellere. Neque hic iuvant medicamenta aperientia, neque unguenta emplaſtrave, neque, ut quidam plauſibiliter propoſuerunt, confert febrim in longum trahere, aut eam quae ſeceſſit, revocare, et interea medicamenta aperientia dare: ſcilicet ut ea per febrim ipſam penitus inter univerſos laeſi corporis humores mittantur, ſicque maiorem efficaciam acquirant, qua poſſint tumorem fundere. Quo enim febris diutius inſidet, eo magis tumor creſcit.

AEGROTUS LXVII. Anno 1749 die 4 Maii puer triennis ex longa febre intermittente aquam inter univerſam cutim accepit, et ingentem lienis tumorem.

Huius ventrem prius pharmaco purgavi, deinde corticem peruvianum praeſtiti, qui hydropem ſimul et lienis tumorem diſcuſſit.

AEGROTUS LXVIII. Anno 1750 die 27 Martii mulier febrim quotidianam diutius traxerat, ob quae ea ingentem lienis tumorem accepit, qui octo pollices diametro ſuperaverat.

Huius alvum pharmaco purgavi, deindeque febrim multo cortice peruviano excuſſi; ſimul et lienis tumorem diſſipavi.

A vero igitur longiſſime abſunt, qui putant,

quaſi iſte quidem lienis tumor ortus a cortice peru-viano eſſet.

Sumit autem iſte lienis tumor finem maxime ſic: primum febris, ſi eſt, poſt aliquam corticis portionem deſiſtit, deinde tumor ipſe minui incipit: poſt, ubi excuſſa omnis febris eſt, plus ex tumore, et ut cortice continuatur, iterum plus demitur, donec poſt adhibitum multum, longoque tempore continuatum corticem omnino deſiſtat.

Ita praegrandes lienis tumores, et qui diu inſidebant, omnino diſſipavi, maiores et veteranos, maiori quidem corticis copia, minores vero atque recentiores minori portione. Parvus enim et recens facile intra 6 ſcilicet ſeptimanas, evanuit; neque corticis plus, quam quaeque febris intermittens ſimplex ad curationem requiſivit: maior, qui palmam magnitudine vel aequabat, vel excedebat, et quinque aut ſex menſes inſedit, corticis plus novem ſcilicet aut decem uncias, atque trium menſium curationem ante deſideravit, quam omnino evanuit. Neque dubito, poſſe maiorem atque veteranum diſcuti, ſiquis eundem et ſatis longo tempore, et vel dupla vel tripla corticis copia proſequi velit, quod equidem experimentum ipſe capere nondum potui, ob id, quod ita continere ſe aegri nolebant.

Nonnunquam etiam iſte tumor naturae beneficio, maximeque ubi puerilis aetas erat, deſiit, poſteaquam febris corpus ex toto dimiſit. At hi, cum aliquando iterum in febrim intermittentem incidiſſent, ſimilem rurſus tumorem citius acceperunt. Necquicquam vero ii, quorum lienis tumor cortice peruviano ante diſcuſſus erat. Veriſimile eſt, lienem ſic intumere, quando fomes, quem febris movit, in eum translatus eſt: non crudus quidem tamen non omnino coctus; cui miaſma inhaerere continuat, nec amplius in circuitus

erum-

erumpit. *Morbus* (ſplenis tumor) *fit, cum ex febribus et mala curatione bilis aut pituita aut ambo in ſplenem incubuerint p*). Ineſſe autem eidem miasmatis quidquam, quoniam malum curationem a cortice admittit, et febris, ſi revertitur, primas ſuas notas in eodem tumore oſtendit. Ob quam, etſi imperfectam criſin fortaſſis SYDENHAM ſtatuit *q*) *quod nulla ſpes ſit, abigendi febres autumnales, quae teneram aetatem diu cruciarint, donec abdominis regio circa lienem praecipue indurari atque tumefieri coeperit: iiſdemque gradibus, quibus hoc ſymptoma ſupervenerit, febris etiam fugam meditetur*.

CAPUT II.

Icterus ex febre intermittente.

Similiter ſi febris fomes in hepate reſidet, et miaſma cum eodem convenit, excitatur febris ſimul et Icterus.

LAZARUS RIVERIUS *r*) vidit *infantem recens natum Icterum a matre contraxiſſe, quae tertiana laborabat, eundemque viginti dierum ſpatio ſanatum fuiſſe, ſyrupo amaro*. Utique, quod amara etiam febrim excutere poſſunt. WERLHOF *s*) talem Icterum cortice ſubmovit. Idem ſuadet ALEXANDER CAMERARIUS in diſſertatione quam de corticis peruviani uſu adverſus Icterum ſcriptam reliquit.

AEGROTUS LXIX. Anno 1748 menſe Iulio mulier 40 annorum a febre intermittente quotidiana duplici et confuſa, qua ſex ſeptimanas laboraverat,

p) *HIPP. de affect. N.* 21.
q) *Sect. I. Cap.* 5.
r) *Cent. I. obſervat.* 18
s) *Obſervat. de febribus Sect.* 2. §. 6. *obſ.* 13.

abſque medicina eveniſſe videbatur, reſtitutis aliquantum corporis viribus. Poſt, ſummam cutim perflavam accepit; urinam craſſam nigramque et quae linteamina tinxit, emiſit.

Iſtius aegrae alvum pharmaco purgavi, deinde corticem peruvianum medicinae dedi, qui, ut febris reliquias excuſſit, Icterum diſſipavit.

AEGROTUS LXX. Anno 1748 die 26 Decembris vir 60 annorum bibulus et ſanguine abundans febre tertiana ſimul et Ictero corripiebatur.

Huius alvum pharmaco purgavi, deinde unaquaque hora corticis peruviani ſcrupulum exhibui, quo et febris et Icteri expers proxime evaſit.

Si obſcura cum Ictero febris eſt, debet ad ea ſigna attendi, quae ſupra deſcripſimus, & ubi cognita cauſa fuerit, ad eam dirigi curatio.

AEGROTUS LXXI. Anno 1753 die 23 Ianuarii vir 38 annos natus iam dudum male habens et aurigine tinctus diverſa remedia aſſumſit, omnia ſine profectu. Namque debilis erat, noctes inſomnes egit, vehementer incaluit, multum ſitivit, os amarum, linguam ſordidam, et celerem arteriarum pulſum habuit; cibos nauſeavit, vomere voluit, ſaepe multo ſudore immaduit, urinam flavam emiſit, quae lintea tinxit. Scilicet iſti Ictero iunctam habuit tertianam obſcuram, quae confuſarum febrium omnium frequentiſſima eſt.

Huic vomitorium medicamentum ante, deinde corticem peruvianum praeſtiti, qui intra octiduum febrim ſimul et Icterum excuſſit.

At ſi nulla febris ſuſpicio ſit, et flavus cutis color perſiſtat, debet attendi ad ea remedia, quae adhibentur, num iuvent, num noceant, et ex his diſci, quae recte uſurpanda ſint.

AEGROTUS LXXII. Anno 1755 initio veris

virgo

virgo annos 42 nata Ičtero laborabat ex incognita cauſa. Nulla namque hic aderat Hepatis ſive obſtructio ſive durities, ſive dolor, ſive in hypochondrio dextro tumor, neque ſtercora coloris expertia, ſed flava ſanorum ſimilia; arteriarum quidem pulſus debilis et nonnunquam frequens, urina item flava et craſſa, verum abſque ſedimento; ciborum etiam nauſea; at nulla caeterum febris intermittentis manifeſta indicia. Praeter haec multi homines ea tempeſtate ſimili vitio laborabant, quod purgantibus remediis facile ceſſit.

Fruſtra autem per quinque ſeptimanas medicamenta modo aperientia, modo ſalia neutra, modo extracta ex herbis amaris, modo rhabarbarum, modo multum ſaponem obtuli: cutis enim flavus color verſus in viridem, viridis in fuſcum eſt.

Quare ad corticem peruvianum recurri, de quo ſi non iuvet, quod non noceat, experientiam habebam.

Poſt dimidiam corticis unciam cutis ſimul et urina multum ex colore flavo amiſerunt. Poſt duas uncias deletus (quod ob temporis brevitatem maxime mirum videri poteſt) intra quatriduum omnis Icterus eſt, ipſaque extrema corporis cuticula decidit; quae, ubi digitis trita in exiguos cylindros eſt, coerulea apparuit.

Nonnunquam talis Icterus cum febrium recidivis revertitur.

AEGROTUS LXXIII. Anno 1753 die 14 Iulii virginem 22 annos natam febris intermittens ſimul et Icterus prehenderunt; utraque vero vitia protinus aſſumtum medicamentum vomitorium quam proxime excuſſit.

Poſt ſex dies reverſae ſimiliter febris et aurigo ſunt: quas iterum cortex peruvianus promte disſipavit.

Si-

Similiter alia virgo intra quinque annos ter febre intermittente laborabat, totiesque Ictero affecta eſt.

Vidi ex tali Ictero, propterea quod febris inveteraverat, cutim olivei coloris, qualis Aſiae populo eſt, impoſterum manſiſſe.

Alius niger, fere ut Indus, ex febre factus eſt.

AEGROTUS LXXIV. Famulus ruſticus annos 26 natus febre quartana duos fere annos absque medicina laborabat: tribus ante febris exitum ſeptimanis Icterum accepit, qui cutim magis atque magis infecit, neque eandem impoſterum dimiſit.

Sic proſpere valens univerſam corporis cutim nigram, quaſi natus ex patre Indo, et Europaea matre eſſet, retinuit: manuum etiam volas et pedum plantas ſimiliter albas habuit.

Duos poſt haec annos, die ſcilicet 26 Septembris anni 1751 rurſus in febrim intermittentem incidit, a qua per corticem peruvianum omnino evenit. Neque vero potuit poſtrema iſta febris, neque cortex peruvianus quicquam ex colore nigro minuere, ſed idem continenter talis manſit, etiam cum hominem novem poſt annos vidiſſem.

Non a vulgari cauſa ab hepatis puta obſtructione calculove iſte Icterus eſt: neque enim durum hepar eſt, neque intentus venter, neque inflammatum hypochondrium dextrum, neque alba ſtercora cum labore emittuntur: contra vero mollia praecordia ſunt, venter ſubſidet, flavaque ſtercora ſanorum ſimilia facile ſecedunt: et ipſe Icterus cum febre incipit, et expuncta febre prompte deſiſtit: isque nonnunquam uni tantum humori excreto inerat. Aliquorum enim ſola urina Icterum habebat, caetera corporis cutis nihil. Iſtorum nempe urina nigra craſſaque exiit, et linteamina croceo colore induit: excuſſa febre iterum te-

tenuis atque ſanorum ſimilis evenit. Quod mirum quidem phaenomenon ſaepe me ſefellit; cum ex eo auriginem inſtare praedixi; quae ipſa quidem non ſecuta eſt, ſed caeteram cutim albam reliquit.

AEGROTUS LXXV. Anno 1755 initio menſis Iulii iuvenis mulier, cum proxima partui eſſet, in febrim intermittentem incidit, intra quam nigrum craſſumque veluti ex Ictero lotium emiſit; interea cum externa corporis cutis expers coloris manſit. Excuſſa febre lotium ſanorum iterum ſimile evenit.

Sicque aliquoties per febrium recidivas. Idem in febre continente vidi.

Anno 1772 mulier febre continente laborabat, et ad exitum coctionis pulſum hepaticum in carpo dextro (qualem a Solano accepimus) habuit. Inde vero eius cutis aurigine tincta non eſt, ſed urina ictericorum urinae ſimilis cum ſtranguria evenit et talis quindecim dies effluxit, et aegram ſanam praeſtitit. Nonnunquam Icterus, ut GALENUS dixit *), criticus eſt.

CAPUT III.

Maculae a febre intermittente.

Ex diverſis Exanthematum ſpeciebus, quae febrim ſequuntur, hic duo exempla ponam, quae ſatis mira ſunt.

AEGROTUS LXXVII. Mulier 30 annos nata febrim tertianam a menſe Februario anni 1750 diu absque medicina traxit, donec ipſa per ſe deſierit. Poſt, menſe Maio, reverſa incertis quidem circui-

*) *In quarto Lib. Aphor. aph. 62.*

tibus eſt: exque ea aegra multam aquam pedum crurumque cutim inter accepit. In iſta cute multae maculae latae, aliae rubrae, aliae flavae, aliae citreae, aliae coeruleae, aliae nigrae provenerunt, ita inter ſe compoſitae, ut pictam illam chartam marmori ſimilem non inepte retulerint.

Excuſſa per corticem peruvianum febre primum aquoſus tumor concidere coepit, per largum urinae profluvium, deinde maculae, quae diſtinctae ante fuerunt, confuſae in unum colorem ſunt, qui levior factus in citreum abiit, et denique ex toto evanuit.

AEGROTUS LXXVIII. Famulus molitor ob febrim tertianam, qua vere anni 1751 laborabat, prius medicamentum vomitorium deinde corticem peruvianum accepit,

Ubi ſic aliquantum ex febre minutum eſt, ortae in univerſa corporis cute maculae fuſcae lentem latae ſunt; mirabili ſpectaculo! Excuſſa per corticem febre, omnes quoque maculae diſparuerunt.

Iſtas maculas a ſanguine caeteriſque inde humoribus eſſe iudicio, quos febris ante ita vitiavit, disſolvitque, ut in minora, quam oportuit, vaſa intraverint, ex quibus trans ſummam cutim appareant. Ita VAN SWITEN t) virginem vidit, quae ex longa quartana multum ſanguinem e gingivis ſtillavit, inque oculorum palpebris Ecchymoſin habuit.

CA-

t) *Comment. in Boerhaav. aphor.* 753.

CAPUT IV

Hydrops a febre intermittente.

Saepe Hydrops longas febres ſequitur vel anaſarca vel intus quaſi in utrem aqua contrahitur: isque magis pauperes atque infantes male habet, quam qui cum utilitate ſuis opibus fruuntur: propterea quod pauperes ciborum ob defectum, infantes vero ob exceſſum vitiati corporis habitus eſſe conſueſcunt, ob quem ipſi hydropi per ſe ſatis obnoxii ſunt. *Hoc malum ſaepe alteri vetuſto morbo, maximeque quartana ſupervenit u), ex quartanis hydrops x).* Abſurdum eſt (quod aliqui ſibi perſuadebant) quaſi talis hydrops corticis peruviani culpa eſſet. Is enim, ſi protinus adhibetur, hydropem cavet, et eum qui eſt, pellit *y*).

Neque ſuccedit curatio (ut nonnulli probabili ſermone propoſuerunt) per quam tales aegros aperientibus auxiliis iuvare contendunt, febrimque, ſi ea diſceſſit, adhibitis purgantibus remediis revocare volunt; ſcilicet ut per eam hydrops curationi opportunior fiat: ſic enim morbus magis occupabit.

AEGROTUS LXXIX. Anno 1748 die 13 Auguſti vir 36 annorum ex tertiana febre, quam quatuordecim dies ſine medicina traxerat, a capite ad pedes usque intumuit, aquam inter cutim habens.

Huius alvum pharmaco purgavi, deinde temperantiam imperavi, et medicamentum diureticum praeſtiti, atque expectavi, num iſta per febrim agitata proficiant.

At

u) *CELSUS Lib. III. Cap.* 21. *de hydropicis.*
x) *HIPP. Lib. de aëre et locis Sect. I.* §. 26.
y) WERLHOF *obſerv. de febrib. Sect. II.* §. *VI. obſer.* 12.

At contra in peius omnia iverunt; magis collapſae vires ſunt, et crevit indulgens ſibi hydrops. Ob quam cauſam reiectis iſtis omnibus remediis, ſolo cortice peruviano obveni, qui febrim tertio, hydropem autem octavo die excuſſit, edendi deſiderium, deindeque integram valetudinem reſtituit; facta (quod maxime mirum videri poteſt, neque ego iuxta ullum impoſterum hydropicum obſervavi) nulla notabili humorum excretione.

AEGROTUS LXXX. Iuvenis 20 annos natus hydrope, qui ſine febre erat, laborabat, a quo ſanatus eſt. Poſt ſex menſes in eundem recidit, quem iterum medicina ſubmovit. Poſt 16 menſes iterum hydropicus factus eſt, atque adhibitis modo catharticis modo diureticis auxiliis evaſiſſe videbatur. Denique poſt tres menſes anno ſcilicet 1752 a die 18 Decembris hydropicus factus eſt: huius aquam electuario purgante ſubduxi, eiusdemque corpus pannis laneis Maſtiches fumo prius imbutis perfricari iuſſi.

Poſt ſex menſes orta quartana febris eſt, quam per tempus aliquod relinquere conſultum videbatur, ſcilicet ut per eam noxii corporis humores tanquam a quibus quod ortus ſaepe hydrops ante fuerit, credibile erat, magis conteri, atque cum ſudore extus pelli queant: Interque haec aperientia medicamenta offerre, quae ipſius febris motu efficaciora fierent. Talis curatio ideo magis accepta eſt, quoniam aeger ex iſta febre, quae quartana erat, minus fatigari potuit.

At poſteaquam febris ſex ſeptimanas implevit, primo pedes, paulo poſt ipſe venter tumere coeperunt, crevitque hydrops, ſic ut in ingentem aſcitin abiverit.

Quare

Quare tunc multum corticem peruvianum continenter obtuli, qui aegrum et febris et hydropis expertem effecit, et impoſterum tutum reliquit.

Male igitur aegris conſulunt, qui talem hydropem medicamentis draſticis curare contendunt. His enim febris, quae eſt, exacerbatur, et ea, quae deſiit, revocatur. Sicque diu inſidendo hydropem auget. Febrim vero intermittentem ipſam excitato alvi fluxu revocari, et olim SYDENHAM ſcripſit, et a me ſuperiore libro I. capite VII. poſitum eſt. Minimeque perpetua HIPPOCRATIS ſententia eſt, quod *Hydropes Leucophlegmatias appellatos alvi profluvium ſedet* ζ).

Solum enim Cortex, ſi recte adhibetur, talem hydropem cavet; et eum, qui eſt, pellit. Veluti hic aliqua ex multis curationibus exempla ponam.

AEGROTUS LXXXI. Anno 1748 die 16 Octobris virgo annos 50 nata febrim intermittentem quartanam, qua diutius laboraverat, neſcio quibus pharmacis, profligavit. Inde intumuit, aquam inter cutim habens, contra quam Electuarium hydragogum ſumſit. Nihilominus crevit tumor, totumque corpus hydrops anaſarca occupavit. Erat praeterea aegra valde debilis, cibos nauſeabat, atque quarto quovis die quaſi per certum circuitum multum ſudabat.

Hanc 14 intra dies multus cortex peruvianus ex toto ſanam praeſtitit.

AEGROTUS LXXXII. Anno 1748 die 8 Novembris virgo 58 annos nata ab octodecim iam ſeptimanis febre intermittente quotidiana laborabat, quam Medicus, qui corticem peruvianum maxime metuebat, concharum calce hucusque agitavit, ne aegram aqua inter cutim male habitura eſſet.

Ni-

ζ) *Coac. Praen. Sect. III.*

Nihilominus eum res feſellit, et aegra a pedibus ad thoracem usque valde intumuit; itaque Electuario hydragogo tentata curatio eſt; verum ex hoc exaſperata febris eſt, et hydrops univerſum corpus comprehendit, neque aegra cibos continere poterat, ſed eos protinus inconfectos infra emiſit; ſecutaque magna corporis infirmitas eſt.

Iſti aegrae corticem peruvianum cum aliqua nucis moſchatae portione exhibui, adiecto vino diuretico, qui febrim ſimul et inteſtinorum levitatem biduo ſubmovit; reverſum edendi deſiderium eſt, et ſtercora dura atque figurata deſcenderunt.

Deinde ubi plurimum corticis quatuor ſeptimanas aſſumtum fuit, ſecuta integritas eſt.

Ex quibus iterum patet, purgantia remedia hydropem, qui ex febre intermittente eſt, necquicquam iuvare; contra exaſperare eundem.

AEGROTUS LXXXIII. Anno 1751 mulier gravida aliquamdiu aegre habuit; deinde peperit, expletoque partu eius vires dilapſae ſunt, acceſſit ciborum nauſea, vehemens calor, ſitis multa, corpus ſaepe etiam ſudore immaduit; gravior item ſomnus preſſit, et tumultuoſa ſomnia fuerunt, atque Lochia rara evenerunt.

Huic quidam Medicus 14 continuo diebus medicamenta terrea atque diaphoretica praeſtitit; quae cum nihil profeciſſent, mulierem reliquit, quatuor ſeptimanas auxilio orbam.

Inde aegra fere retro, quaſi ruina quaedam revolvebatur. Exaruerunt namque Lochia, ubera amiſſo lacte emacuerunt, calor vehementer exarſit, ciborum nauſea, praecordiorum anguſtiae, et inſomnes noctes ſatis infirmi corporis reliquas vires omnino contriverunt. Supervenit acutus membrorum dolor, qui aegram extreme cruciavit, et modo alteras atque alteras

teras partes occupans, incepit a pede dextro inque ſiniſtrum brachium aſcendit, ex brachio in pedem ſiniſtrum relapſus eſt, ex eodemque ſurſum in dextrum brachium venit, ſervato eodem ſemper eundi redeundique ordine et decuſſato tramite. Praeter haec pedis crurifque dextri cutim inter multa aqua venit; plurimaque in infimo ventre confluxerat; reliquum autem corpus exeſis carnibus emarcuit. Porro arida tuſſis diu noctuque vehementer urſit.

Talem aegram die 27 Maii cum accepiſſem, morbum a febre intermittente confuſa, quae neque certum neque diſtinctum circuitum haberet, eſſe putavi.

Quare ſolum corticem peruvianum aegrae liberaliter praeſtiti, a quo quatuordecim poſt dies ex toto convaluit: iterumque lac, quod ſeptem iam ſeptimanas amiſerat, bonum perfectumque accepit, quo ſuam prolem impoſterum nutrivit.

AEGROTUS LXXXIV. Anno 1749 die 26 Decembris Iuvenis annos 20 natus, pauper, miſere paſtus, ex febre intermittente, quam diutius traxit, a pedum planta ad caput uſque hydrope anaſarca adeo intumuit, ut eius cutis, veluti bombicum, iuſtraſſet. Multae item aquae in eius infimum ventrem confluxerunt.

Huic, poſtquam is vomitorio medicamento purgatus fuiſſet, multum corticem peruvianum praeſtiti, quo proxime convaluit, omnemque ſuperfluam aquam ſaepe mingendo excuſſit.

Quod ſi vero malum urgeat, ob id, quod aliqua cutis portio inflammatur (quod pedibus maxime et obſcoenis partibus accidere aſſuevit) protinus incidendum, aut ſuper metatarſum talumve aut intra ſcrotum vulvaeve labia, eſt, quo per aliquot dies frequens humor feratur: atque ipſos tumores incidere

altis

altis plagis oportet; ipſumque corpus cortice peruviano curare ad morbi exitum uſque. Neque enim ſanat emiſſus humor; tamen aqua niſi emittitur, quae contra naturam ibi ſubſiſtit, inflammatis partibus nocet, et gangraenam illuc ferre poteſt.

AEGROTUS LXXXV. Anno 1761 menſe Decembri mulier 22 annorum, pauper, iam diu miſere vivens ex febre intermittente, tres menſes neglecta curatione, hydropica evenit. Eius enim facies collumque et thorax multum cum pallore intumuerant, in imo ventre plurimum aquae collectum eſt: inter crurum pedumque cutim tantum aquae convenit, quantum ea recipere vix potuit. Vulvae item labia, inter quae turgidae Nymphae proruperunt, aqua tanquam utres impleta ſunt: ob quae panſis cruribus cubare debuit.

Itaque protinus Vulvae labia ipſaſque Nymphas profundis plagis incidi iuſſi, quae multum aquae emiſerunt; ſimulque corpus cortice peruviano curavi.

Prima autem corticis uncia alvum laxam effecit, plurimamque impuram colluviem, ſimul et multos vermes excuſſit; altera febrim ſuppreſſit, et edendi deſiderium reſtituit; tertia urinam pepulit, qua omnem ſuperfluam aquam emiſit; quarta denique integram valetudinem reſtituit.

Atque iſtius quidem Hydropis curatio maxime talis eſt. Neque ullus eorum, quos ita curaveram, impoſterum in hydropem recidit, etiam quos poſt triginta annos a curatione vidi.

Quare, quoniam hydrops, qui febrim intermittentem ſequitur, non corticis vitio, ſed ipſius morbi culpa contingit; debet febris ante omnia excuti, fruſtraque hydrops curatur, quem febris non dimiſit. Verumque eſt, quod olim CELSUS de hydropicis di-

dixit *a*): *Sed ſi febris quoque eſt*, *haec imprimis ſubmovenda eſt per eas rationes*, *per quas huic ſuccurri poſſe propoſitum eſt*.

Ac ne illud quidem in controverſiam venit, quod nonnunquam aliqui etiam cum cortice peruviano facti hydropici fuerint. Ita enim duabus fere de cauſis incidere conſuevit: aut quoniam impurum ſtomachus corticis virtutem impedivit, aut quoniam ipſius corticis non ſatis oblatum eſt. Quae res olim magis obtinuit; quo tempore Medici, cum poſt aliquam corticis portionem prima febris acceſſio deſiiſſet, hoc remedio contenti nihil ultra dederunt; ob quam incuriam febris, quod non omnino expuncta erat, ipſa inveteravit, et hydropem effecit. Debet igitur, ut ſuperiore loco *b*) poſui, cortex cortici audacter addi; hic enim *pertinacia iuvantis malum corporis vincit c*). In hoc omnis tutae curationis cardo vertitur.

Id inſuper proximum exemplum docebit.

AEGROTUS LXXXVI. Anno 1752 mulierem 58 annos natam, pauperem, et ob cibi defectum iam diu infirmam, ſub finem Februarii menſis acutus lateris dolor protinus prehendit, cum ſpiritus difficultate, praecordiorum anguſtia, calore, ſiti, vigiliis.

Ob quae miſſus e vena ſanguis eſt, et impoſiti affecto lateri fotus emollientes ſunt; praeſtita item multa refrigerantia auxilia, quae aliquantum quidem iuverunt.

At calor tamen, ſitis, nauſea et ſpiritus gravis continuarunt: noctu ſudor erupit, et quaſi per circuitum morbus invaluit. Poſt febris vehementius exarſit, atque in certas acceſſiones diſtinxit ſe.

Ob quae corticem peruvianum imperavi, de quo aegra

a) *Lib. III. Cap.* 21.
b) *Lib. I. Cap. V. et VI.*
c) *A. C. Celsus Lib. III. Cap.* 12.

aegra tantum quidem aſſumſit, quantum potuit minuere febrim at non ſubmovere omnino; caeterum reiecit. Igitur reverſa febris exque ea ortus terribilis hydrops eſt. Tanta enim aquae copia intus in imo ventre confluxit, ut, moto corpore, impetus eius non ſolum tangi, ſed et conſpici potuerit. Quamplurima item aqua pedum inter et crurum cutim coivit; ſic ut ſplendentem cutim fere disrupiſſet. Inter haec febris increvit.

Quare iterum ad corticem recurſum eſt, qui poſteaquam febrim excuſſit, hydropem per urinam emiſit; poſtque aſſumtas quatuor uncias proſpera valetudo, eaque multo melior ac ante ipſum morbum evenit.

Ex quibus patet, non ob corticem iſtum hydropem excitiſſe, ſed ob id quod non ſatis ex eo aſſumtum erat. Verumque eſt, quod antiquiſſimus olim HIPPOCRATES d) dixit: *quae profuerunt, ob rectum uſum profuerunt, quae autem nocuerunt, ob id, quod non recte uſurpata ſint, nocuerunt.*

Solet autem iſte quidem hydrops (quod memoratu dignum eſt) exitum per urinam ſumere, et intra diem noctemque 16 maxime aut 20 libras effundere: non protinus quidem ut cortex datur, aut aliquantum ex febre minutum eſt, ſed poſteaquam febris ex toto expuncta eſt: et ſequitur maxime hunc ordinem: Initio urina, quae turbida ante fuerat, transparens fit, poſt limpida, et aquoſa evenit, deindeque cum expuncta febre ſatis validae corporis vires fuerint, liberaliter erumpit, omnemque hydropem ſecum trahit.

Nonnunquam levis ante dolor vexat, quam urina emittitur: iſque quod in propinquo profluvium ſit,

d) *Lib. de arte Nro. 7.*

ſit, praenuntiat. Simili ratione, ac urina poſt ſuperatam febrim, quae ſine hydrope erat, ultra potum emittitur. Quod ſupra *e*) a me dictum eſt.

Neque poteſt in his certa aliqua corticis peruviani portio ſtatui. Alius enim hydrops quatuor, alius ſex, alius octo, alius etiam decem corticis uncias ad curationem requirit, prout febris ipſa aut magis aut minus inveteravit; aut plus aut minus aquae intus contractum eſt. Neque hic diverſa remedia, quibus diverſi autores utuntur, quicquam proficiunt, ob id, quod morbi cauſam non movent.

Etſi autem iſta quidem curatio ſola ſaepius ſuccedat, eſt nihilominus, ubi talis hydrops nullam omnino medelam recipiat, ſcilicet, ſi febris, propterea quod inveteravit, magnam alicui viſceri noxam reliquit; nam qui ex corruptis viſceribus huc deciderunt, idonei huic curationi non ſunt. Item ſi alius quidam malus morbus intervenit, qui per ſe exitioſus eſt. Aut denique, ſi alvi profluvium incidit, quod arte tolli non poteſt. Illud enim febrim, a qua ipſa hydrops eſt, exaſperando morbum inſuperabilem efficit. Quod item experientia docuit.

Porro de hydropicis, etiam qui ſine febre eo deciderunt, in univerſum haec dico: hydropicos habitu corporis quidem ſibi ſimiles eſſe; nullum vero morbum magis diverſas cauſas habere, quam ipſum hydropem: vanum eſſe, ſimiliter omnes hydropes iisdem remediis agitare; ſudorificis puta, diureticis, atque draſticis: rectius cauſas diſcere oportere, et ad eas dirigere curationem: aliter hydropem, qui febrim intermittentem ſequitur, aliter qui longos morbos, aliter qui ab obſtructis viſceribus venit, aliter qui a putrida in imo ventre colluvie, aliter qui a ſanguinis profluvio, aliter qui a ſanguine in-

e) *Lib. I. Cap. V.*

intus retento in virginum morbis, aliterque alium atque alium habendum eſſe, prout alias atque alias cauſas agnoſcit. Omnes vero hydropes, ſi ſuperabiles ſunt, expuncta prius cauſa exitum per urinam naturae beneficio ſumere. Et fortaſſis aliquos eorum, qui ob membranarum callos reſiſtunt, ſuppuratione vinci poſſe.

CAPUT V.

Excretiones cohibitae a febre intermittente.

Ut febris intermittens aquas in corpore contrahit, et hydropem efficit, ita alias ſaepe excretiones ceu fluxum menſtruum foeminarum, puerperarumve lochia aut nutricum lac haemorrhoidumque conſuetum exitum intus retinet.

Si intra ipſam febrim intermittentem menſtruus ſanguis, quo tempore fluere deberet, deficit; cortice peruviano uti convenit; is enim ut febrim pellit, ſanguinis exitum reſtituit.

Iſta curatio ſemper ſucceſſit, quae, quoniam trita et uſitata ſatis eſt, exemplis opus non habet.

At ubi finita febre nihilominus catamenea duos aut tres menſes defecerunt; vanum eſt, quod quidam volunt, medicamentis emmenagogis (gummatibus ſcilicet, aloe, croco, venae ſectione iuxta talum, et balneis) rem urgere. In his enim nihil, niſi quod febris reliquias expellit, iuvat. Neque enim iſta curatio, etiam ubi quatuor menſes ſanguinis nihil emiſſum eſt, fallit. Sed ſemper auxilium effectus ſequitur; modo ad id attendatur, ut, quo longiore tempore ſanguinis iſte fluxus defecit, eo corticis plus adhibeatur. Sic virgo *) ſanguinis fluxum, quem decem men-

*) *AEGROTUS LVIII.*

menſes amiſerat, iterum accepit. Iſtae enim omnes foeminae (quod ſcitu maxime neceſſarium eſt) etſi febris omnino expertes ſe putaſſent, nihilominus aliquas tamen febris reliquias eo usque retinuerant, quas ante excutere oportuit.

Similiter cortex peruvainus haemorrhoidum fluxum, ſi ob febrim defecit, reſtituit.

Neque, quod nonnulli metuunt, vidi, talem ſanguinis fluxum ſiquidem febris intermittens in eum incidit, per corticem ſive auctum, ſive minutum, ſive ullo modo vitiatum fuiſſe; quemadmodum experientia in ipſis curationibus ſaepe docuit me.

Ob quam rationem corticem peruvianum etiam intra ipſum ſanguinis menſtruum fluxum, ſi incidit, continuo. Quod duas potiſſimum ob cauſas ita facio: et ut ſecunda valetudo quamprimum contingat, et ne ſalutaris iſte ſanguinis exitus ab ipſa febre ſupprimatur. Contra ac WERLHOF *f*) in tali tempore a cortice abſtinendum eſſe ſuaſit.

AEGROTUS LXXXVII. Anno 1753 die 10 Auguſti vir 40 annorum tertiana febre laborabat, quo tempore haemorrhoides fluere debebant, hisque quaſi per circuitus vexabatur; quo enim die febris preſſit, eo aeger haemorrhoidibus caruit, atque torminibus, teneſmo et vomitu agitabatur. Mediis autem inter acceſſiones diebus ſanguis liberaliter effluxit.

Iſti homini poſt quintam acceſſionem vomitorium, deinde corticem peruvianum praeſtiti; qui febrim excuſſit, ſimul et ipſum haemorrhoidum fluxum expeditum atque liberalem effecit.

Nutrices, ſiquidem febre intermittente tentantur, lac amittere conſueſcunt, aut lactis vice tenue ſerum dare, collapſis uberibus.

 Has

f) *Observ. de febr. ſect. III. §. 5. Item Sect. IV. §. 6.*

Has ea medicamenta iuvant, quae febrim pellunt; maximeque cortex peruvianus; caetera non.

Revenit autem lac maxime ſic: ſcilicet, ſubmiſſa febre ubera iterum aſſurgunt, deinde turgidula fiunt; poſt, ubi corticis plus aſſumtum eſt, lac accipiunt; denique expulſa omnino febre, perfecto lacte abundant.

Ita mulierum ubera, etiam quae quatuor imo nonnunquam ſex ſeptimanas propter febrim ſicca manſerunt, deinde poſt adhibitum corticem peruvianum iterum bonum lac acceperunt; quo prolem liberaliter aluerunt: veluti paulo magis ſupra dixi g).

Puerperarum lochia, ſi ob febrim intermittentem intus retinentur, magnus ſequitur calor, qui poteſt internarum partium inflammationem excitare, ex qua metuenda gangraena eſt.

Si illud obtinet, et febris certum circuitum habet, cortice peruviano facile occurritur, ob id, quod cauſae certa notitia habetur.

At ubi in obſcuro res eſt, et febres confunduntur, maiori opus eſt indagine. In his enim, niſi rectum auxilium fertur, aegra extinguitur. Continuus enim calor eſt; lochiorum aut nihil aut parum emittitur; intumeſcit venter, isque dolet, magis exardeſcit calor, ſitis urget, lingua arida fit, accedunt animi inquietudines et praecordiorum anxietates, delirium denique cum furore, poſtremo gangraena ſive in infimo ventre ſive iuxta cerebrum. Quod ſi alvi profluvium ſuperveniat, eo aegra citius conteritur.

Quare omnino intereſt noſſe, febris intermittens quod hic in culpa ſit. Illud per ea ſigna, quae ſuperiore Libro II. comprehenſa ſunt, et quae minoris notae eſſe dixi, ſciri poteſt. Talis febris ter-

tiana

g) *AEGROTUS LXXXIII.*

tiana potiſſimum eſt; magisque aeſtate, quam alio quopiam anni tempore puerperas prehendere conſueſcit.

Quamprimum igitur cognita res fuerit, multo protinus cortice peruviano ſuccurri debet, isque omni tempore dari; habita nulla ſive acceſſionis, ſive remiſſionis ſpatiive ratione. Sic enim mulieres non multos poſt dies eveniunt, ſi ſine alvi profluvio morbus eſt.

Quod ſi vero alvi profluvium ſimul inciderit; illud plurimum ex cortice ut aſſumtus eſt, alvo ſine profectu excutit, et aegrarum vires vehementer convellit. Tali morbo Epicratis uxor laboraſſe veriſimile eſt; de qua HIPPOCRATES ſcripſit *h*).

Ubi id contingit, corticis plus quam febris ipſa exigit, offerri debet, ut cum multum ex eo ſine mora infra emittitur, tantum tamen intus remanere poſſit, quantum par eſt febri ipſi ſubmovendae: donec clauſa iterum alvo curationem perficiat.

Eſt autem iſtud alvi profluvium a vitiata bile, maximeque febres cum tertianae autumnales ſunt: neque deſiſtit prius, quam omnis iſta bilis infra deſcendit. Quod et longam et difficilem curationem efficit. Quare praeſtat protinus adhibito vomitorio medicamento bilem ſupra eiicere, deindeque ad corticem peruvianum venire, ſic enim alvus cito clauditur, et morbus curationi opportunior fit. Id decimo poſt partum die cum profectu praeſtiti, putoque poſſe idem citius recte offerri.

Excuſſa febre lochia, etiam quae longum tempus intermiſere, iterum erumpunt, et lac in ubera revertitur.

Quae curatio iuxta permultas puerperas ſucceſſit, ex quibus unam exempli cauſa hic iungam.

h) *De morb. pop. Lib. I. Sect. 3. Aegrotus 5.*

AEGROTUS LXXXVIII. Anno 1755 die 15 Iulii mulier 34 annorum febre tertiana proxime ante partum affecta eſt, intraque ipſam febrim peperit.

Expleto partu initio parum ſanguinis emiſit, deinde nihil. Poſt, quo tempore ubera lac habere debuiſſent, tenue ſerum acceperunt. Interea febris magis exarſit; continuum calorem trahens cum delirio.

At, ubi febris per corticem ex toto excuſſa eſt, ubera iterum intumuere, plena multo atque bono lacte. Sanguis item atque lochia, quae ſeptem dies defecerant, iterum, quemadmodum a recenti partu, liberaliter eruperunt.

Quare, quoniam cortex peruvianus lienis tumorem, qui a febre intermittente eſt, diſcutit, hydropem effundit, haemorrhoidum uterique conſuetum ſanguinis exitum expedit, lochia pellit, amisſum lac reſtituit, perficitque; verum omnino non eſt, quod quidam volunt, adſtringere corticem peruvianum, ipſique febri ob id quod adſtringat, mederi.

CAPUT VI.

Excretiones nimiae a febre intermittente.

Etiam humorum excretiones, ſi propter febrim excedunt, cortex peruvianus repellit.

Et primo quidem commune eſt, aegros a febre, maximeque ubi calidum ſive potum ſive cibum asſumſerunt, diu etiam per aliquot nonnunquam menſes impoſterum inſudare; cum virium iactura.

Id ex eo provenit, quod, etſi multum ex febre minutum ſit, nihilominus aliquae adhuc eius reli-

quiae

quiae intus in corpore remanſerint; hic cortex peruvianus iuvat; qui, ut febrim pellit, ſudorem ſiſtit.

Similiter alvi fluxum etiam qui poſt purgationes continuat, ſi certum cum febre circuitum ſervat, cortex peruvianus tollit.

AEGROTUS LXXXIX. Anno 1753 die 23 Martii foemina 30 annorum ob febrim tertianam alvum pharmaco, quod forte a circulatore medico acceperat, purgavit, quod medicinae genus, quoniam vehemens erat, ſecuta tormina ſunt; teneſmus, et animi ſaepe deliquium. Deinde reverſum per certos circuitus cum febre alvi profluvium eſt; idemque mediis inter acceſſiones diebus ſtetit: ſicque aliquamdiu impoſterum.

At excuſſa febre ſtercora ſanorum ſimilia quotidie cum facilitate exierunt.

Quotiescunque autem impoſterum reverſa febris eſt (reverſa autem poſt ſedecim dies eſt: deinde menſe Auguſto, denique menſe Septembri) ſemper alvus laxa intra acceſſiones erat; adſtricta vero mediis intermiſſionum diebus. Donec excuſſa omnino febre in ſanorum modum ordinemque reſtituerit ſe.

AEGROTUS XC. Anno 1748 die 22 Auguſti iuvenis 25 annorum febrim tertianam habebat; ob quam arrepto vomitorio medicamento ſupra infraque adeo purgatus eſt, ut nihil vitiati intus remanſiſſe credibile fuerit.

Nihilominus impoſterum cum febris acceſſionibus reverſum idem alvi profluvium eſt, mediis diebus requiem relinquens, ſicque per certos circuitus; usque dum ſubmota ex integro febri alvus ſanorum ſimilis evenit.

Hic multum corticem liberaliter inter acceſſiones tempore dare convenit; qui ſimul ut febrim pel-

 lit,

lit, alvi profluvium tollat. At quod magna auxilii doſi (uncia fere utrasque inter acceſſiones) opus eſt.

Si mulierum menſtruus ſanguis aut puerperarum lochia ob febrim intermittentem ſive vagam ſive ordinatam vehementer erumpunt, et aegrarum vires convellunt, multo protinus cortice peruviano occurri debet. Tales enim aegras neque adſtringentia neque narcotica remedia iuvant.

AEGROTUS XCI. Mulier 34 annorum uteri prolapſu affecta in febrim intermittentem inordinatam incidit, quo tempore ſua menſtrua accipere debebat. Etſi autem eius uterus protinus manu intus reductus fuerit, nihilominus ſecuta tanta ſanguinis profuſio eſt, ut ob eam aegra ſaepe animo defecerit. Excuſſa vero per corticem peruvianum febre ſanguis ipſe effluere deſiit.

AEGROTUS XCII. Anno 1751 die 15 Auguſti foemina 28 annorum ſpongioſi corporis habitus febrim quartanam aliquamdiu absque medicina traxerat, intraque eius acceſſiones multum ſanguinis ex utero amiſit, mediis vero diebus nihil. Sicque per certos circuitus hucusque.

Expuncta per corticem peruvianum febre ſanguinis iſte fluxus deſiit, neque idem deinde, niſi expleto menſe, quemadmodum ſanis mulieribus convenit reverſus eſt.

Similiter alia quaevis humorum excretio, ſiquidem ob febrim intermittentem exuberat, cortice peruviano intus cohibetur.

AEGROTUS XCIII. Anno 1750 die 9 Iunii vir 32 annorum poſt febrim intermittentem, qua diu laboraverat, continua impoſterum ſputatione ſalivam, quae plurima in ore confluxerat, reiicere debuit, turpi occupatione.

Quod

Quod vitium, quoniam a febre relictum erat, utique cortice peruviano tolli debuit, quae curatio ſucceſſit.

Poſſe caeteras quoque humorum excretiones, ſi excedunt, maximeque ſanguinis ſive ex utero, ſive ex haemorroidibus profuſiones etiam quae ſine febre ſunt, adhibito cortice peruviano cohiberi quidam ſtatuunt. Illud autem verum non eſt, quemadmodum experientia ſaepe docuit; nam niſi febris intermittens in cauſa ſit, aut fortaſſis putrida humorum ſolutio, nihil a morbo cortex peruvianus demit.

Obtinuit quidem nonnunquam aliquas ex mulieribus, quae talem ſanguinis fluxum diu trahebant, deinde cum febris intermittens incidiſſet, per corticem ad tempus reſtitutas fuiſſe. At eaedem impoſterum maximeque poſt ſex menſes, etſi febris expertes, nihilominus in idem ſanguinis profluvium reciderunt

CAPUT VII.

Bonus corporis habitus a cortice peruviano.

Etiam cortex peruvianus, ſi recte adhibitus fuit, lautum corporis habitum poſt ſe relinquit.

AEGROTUS XCIV. Vir, qui a prima iuventute macer et excarnis erat, in febrim intermittentem, cum annum aetatis quinquageſimum ageret, incidit: expuncta febre corticem diu aſſumere continuavit, quae curatio hominem pinguem et plenis carnibus robuſtum effecit, qualis in longam ſenectutem manſit.

Ita poſt longum a febre corticis uſum alius ex hydropico pinguis, alius ex pleuritico omnino toroſus, alius pinguis et robuſtus evenerunt; alius gra-

vem

vem vocem accepit; pergracilis alius ita mole corporis increvit, ut metuiſſet praeter naturam et ultra ſanitatem intumeſcere ſe: alia mulier tuſſim aridam amiſit, canoram vocem et lautum corporis habitum ex gracili accepit; ſed et alia beneficia in morbis, qui ſuam originem a febre non habent, per corticem peruvianum corpori contingunt; is enim in magnis vulneribus curationem adiuvat, pus bonum efficit, ulcera antiqua tum interna tum externa ſanat, fiſtulas claudit, gangraenae medetur.

AEGROTUS XCV. Anno 1756 die 22 Ianuarii vir 72 annos natus crus ad trabem non multum quidem offendit; ex quo laeſa exigua cutis portio eſt. Inde vulnus verſum in ulcus eſt, atque continenter in peius ruit, neque ullam ab externis remediis curationem admiſit. Caro illi ulceri ſordida putrisque erat ſimul et fungoſa: proximaque cutis albis puſtulis impleta, rubra iuxta inflammataque cum dolore erat: omniaque ea ſimul ſerpſerunt: ulcus in locum puſtuloſum, puſtulae in eum, qui inflammatus erat; inflammatio in id, quod integrum erat, tranſiit. Inter haec multa ex ruptis puſtulis aqua effluxit, quae omnem undique cutim exedit. Ita ulcus quinque pollices longum et tres pollices latum evenit: fruſtraque in id alumen, vitriolum uſtum, aut myrrha, aut calaminaris lapis aut cauſtica, quae luxuriantem carnem vel coërcere vel exedere debebant, adhibita ſunt. Neque duodecim dies aſſumtum decoctum lignorum, adiectis ſennae foliis, profecit.

Profecerunt autem pilulae, quarum unaquaeque ex quatuor corticis granis erat, admiſta terebinthina, ſingula ſingulis horis, potusque ex dimidia corticis drachma in aquae libris quinque coctus. His depuratum ulcus; ſecutumque bonum pus eſt; et undique veluti ex recenti vulnere bona caro provenit,

quae

quae exeſam palgam implevit, et cicatrice clauſit, decimo tertio poſt duas corticis uncias die.

Similiter antiqua iuxta tibias ulcera perſanata ſunt iuvenis coqui, et virginis vetulae, et venatoris annoſi, et ſenecionis hydropici, et iuvenis a cachecticis parentibus geniti.

AEGROTUS XCVI. Vir 70 annos natus teſticulum dextrum ante 40 annos durum accepit, qui progreſſu temporis magis atque magis intumuit, donec caput hominis craſſitie aequaſſet. Poſtremo ortus in iſto tumore acutus dolor eſt cum frigore; ſecutus magnus calor eſt, ſitis, vigiliae, inquietudines, rurſum horripilationes vagae, calor iterum, donec factum in affecta parte pus fuerit. Aperto tumore ultra tres librae nigrae, craſſae, tamarindorum pulpae ſimilis materiei exierunt, cum ſumma mephiti.

Curatum ulcus unguento digeſtivo eſt; aegerque pilulas ex cortice peruviano cum terebinthina aſſumſit, et corticis peruviani decoctum ſuperimbibit. His depuratum ulcus eſt, aegerque omnis febris expers quatuor intra menſes perfecte ſanatus eſt; integro impoſterum cum teſticulo.

Etiam fiſtulas cortex peruvianus recenti carne implevit.

AEGROTUS XCVII. Anno 1766 centurio 55 annos natus, et qui plurimam aetatem militiae egerat, multas gonorrhoeas habuit, ex quibus aliquae longum tempus trahebant; poſtrema inveteravit, foedumque ulcus usque huc reliquit. Ortae etiam in urethra carunculae ſunt, ob quas urina cum labore emiſſa, nonnunquam etiam praecepta eſt.

Cum his nullo in cibis ordine nulla ratione uſus eſt, inque vino exceſſit. Inde tractu temporis, univerſum corpus mali habitus evenit, proſtratus appetitus, et collapſae vires ſunt.

In tali morbi ſtatu orta in perinaeo vehemens inflammatio eſt, quae ſcrotum iuxta prehendens idem gangraena infecit. Quare corruptae ſcroti carnes profunde inciſae ſunt, ipſaeque plagae ſimul et perinaei tumor cocto cortice peruviano foti ſunt. Medicinae dedi corticem peruvianum, potui item aquam, in qua cortex decoctus erat.

His corruptae carnes a ſanis ſeceſſerunt, ruptus perinaei tumor eſt, isque multum puris et omnem urinam emiſit; qualem exitum urina diu retinuit.

At contiuato, cum pertinacia, corticis uſu factus bonus corporis habitus eſt, pus laudabile evenit, ipſaque perinaei fiſtula perfecte ſanata eſt, iterumque urina per urethram emittitur.

Ita alia fiſtula iuxta ſternum fabri, alia quae circum mulieris genu viginti fere exitus habebat, perſanata eſt.

Nonnunquam etiam ulcera quae interius corrupta aliqua corporis parte naſcuntur, curationem a cortice recipiunt.

AEGROTUS XCVIII. Iuvenis annos 28 natus tabe ab antiquo pulmonum ulcere conſumtus erat, contra quod ulcus, etſi enim multa et diverſa medicamenta etiam integrum annum adhibuit, nihilominus cum his continenter in peius ruit. Perinfirmus enim evenit, multumque foedi odoris pus tusſiendo reiecit, noctu multum maximeque circum caput collumque inſudavit, et exeſae corporis carnes ſunt.

Hunc initio Auguſti anno 1755 febris tertiana forte prehendit. Contra quam multum corticem longo tempore praeſtiti; ſcilicet qui et febrim pellere posſit, et ipſi pulmoni prodeſſe. Quae curatio omnino ſucceſſit.

Similiter virgo 55 annorum, quae quotidie multum

tum foedi puris e rene ſiniſtro cum urina emiſit, ſanata eſt.

Saepe etiam vidi, magnas corporis contuſiones nihilominus bonum pus accepiſſe; poſteaquam cortex peruvianus et extrinſecus applicatus et intus aſſumtus fuit. Ad bonam item ſuppurationem perveniſſe eos, qui tormento bellico vehementer colliſi multum corticem comederunt. RAMBY *i*).

AEGROTUS XCIX. Anno 1765 exeunte hyeme ruſticus ictum ſclopeti, cui proximus erat, totum accepit, qui iuxta criſtam oſſis Ilei dextri intravit, et transverſum prope Ileum ſiniſtrum exivit cum vehementi carnium laceratione.

Die tertio, quo iſtum aegrum accepi, erat febris ſumma, carnes putres, foetor ingens, vulnusque cavum. Quare quicquid cavum lacerumque ex carnibus erat, incidi praecidique iuſſi, lacerasque veſtimenti portiones extrahi, grandines plumbeas piſi magnitudine numero 15 ex oſſe ſacro eximi, viridemque pinguedinem demi, et lividas muſculorum aponeuroſes, quae in latiſſimo vulnere patebant, decocto cortice peruviano foveri, ipſumque corticem peruvianum plurimum quotidie intus dari.

Sic foetor deſiit, factum in vulnere bonum pus eſt, novae carnes provenerunt, extincta febris eſt, et aeger quam proxime convaluit.

Tantam quoque RICHARDUS MORTON cortici peruviano virtutem attribuit, ut poſſit purulentas variolarum reliquias eodem excutere *k*) et phthiſin, quae variolas ſequitur, ſanare *l*). Imo poſſe ipſo cortice, ſiquidem intra primum variolarum ſtadium

i) *On Gun-shot wounds.*

k) *Tract. de febr. inflammat. universal. Cap.* 10 *sub finem. Item variolar. hiſt.* 2.

l) *Phtyſiol. Lib. III. cap.* 12.

dium idem offertur, variolarum ipſum venenum ita ſupprimi, ut aeger ex eo ſanus eſſe videatur. At deinde nihilominus morbum recrudeſcere. *Ideo nulli auctor erit, ut in hoc morbi ſtadio, venenati fermenti extinctionem moliatur cortice peruviano m*).

WERLHOF puero, cui abſceſſus cum febre continua a confluentibus variolis remanſit, integram valetudinem cortice peruviano reddidit *n*).

AEGROTUS C. Anno 1753 puella annos 10 nata poſt variolas diverſos in diverſis externi corporis partibus abſceſſus accepit, qui quam plurimum puris habebant. Magnum item ulcus in pulmonibus, ex quo multum puris tuſſiendo reiecit. Propter haec febris continua erat, veſperi exacerbationes, iuſudationes noctu, ſumma debilitas, extrema macies.

Inciſis prius externis locis, ut puri exitus fiat, datus multus cortex peruvianus eſt, cibo vero lac. Sicque externa internaque ulcera ſanata ſunt: puellaque bene ſana decoraque hodiedum vivit.

Hic multos eos non memorabo, quorum antiqua ulcera ſive externa, ſive interna, cortex peruvianus ſanavit admiſto cicutae extracto. Quod et alibi a me ſcriptum eſt, et idem ſaepe impoſterum executus ſum.

Peſtiferum eſt, aliquam corporis partem gangraena prehendi, maximeque ſi orta a malo corporis habitu ea eſt. At hanc cortex peruvianus tutius, quam quaecunque alia remedia, ſubmovit: quemadmodum experientia docuit *o*) hoc MONROO in peſſimis variolis, quibus utique gangraena facile contingere aſſueſcit, bonum pus effecit *p*). Imo poſſe

etiam

m) *Cap. 7. de variolis.*
n) *De febr. Sect. V. §. 9. obſervat. 4.*
o) *Medical. Eſſays. T. IV. Cap. 10. Item Tom. III. cap. 5-6.*
p) *Ibidem Tom. V. pag. 98.*

etiam ipſum ſphacelum cortice peruviano cohiberi RUSHWORTH *q*) invenit , et poſt eum multi alii Medici experti ſunt. Tales aliquas curationes nunc iungam.

AEGROTUS CI. Vir 60 annos natus, qui ab ipſa iuventute in obſcuro otio hucuſque aetatem egit, et quam plurimum quotidie cibum nec vini minus aſſumere conſueverat, denique ex pingui rotundaque mole emarcuit: fuſa corruptaque humorum maſſa.

Univerſa corporis cutis exeſa pinguedine colorem decoremque amiſit, et nunc ſuperflua cutis membra circum pependit, excavata tempora ſunt, facies lurida evenit, graviora membra facta ſunt, totumque corpus torpuit, atque loqui et moveri piguit: dum progredi voluit, genua quaſi fatigata ſunt; laſſitudo, ſudor et gravior ſpiritus preſſit: quieto corpore, anima difficulter et cum ſibilo movebatur: praeter haec multa aqua pedum inter cutim deſcendit. Nihilominus aeger, quicquid ciborum arripere potuit, idem vehementer devoravit.

Ita duos annos vitiatum corpus traxit, atque quotidie quaſi ex ruina magis atque magis revolvebatur. Tandem anno 1758 initio Iunii menſis ſiniſtrum pedem, qui plurimam aquam receperat, ſphacelus prehendit, proximaque cutis nigris puſtulis impleta eſt. Quod aeger initio quidem nihili fecit. At paulo poſt malum magis occupavit; ipſa nigrities a pede ad tibiam ſupra iuxtaque malleolum externum intus ſerpſit; inque affecta parte cutis frigida erat, et ipſa cuticula rugoſa ab ea ſeceſſit. Lividae circum venae inflatae ſunt, & rubra fervenſque Zona ab incenſis venis ad inguen uſque proceſſit. Inter haec collapſa facies eſt, et ſpiritus denſus, arteriarum pulſus

q) *A proposal for the improvement of surgery.*

ſus parvus, frequens, inaequalis et ſaepe intermittens evenit.

Quare, quidquid corruptum erat, ad ſanum uſque incidi iuſſi, ipſiſque plagis vini camphorati et ſalis ammoniaci ſpiritum inſpergi: totumque pedem tinctis in aquam calcis, cui Ruta Salviaque et Abſynthium atque multus cortex peruvianus adiecto lapide medicamentoſo Crollii incocta ante erant, linteis circumdari atque diu noctuque foveri: praeter haec corticis peruviani ſcrupulum unaquaque hora praeſtiti, potui dedi decoctum corticis, de quo aeger liberaliter biberet.

His orta in integra carne, qua proxima laeſae erat, inflammatio exque ea ſuppuratio eſt; quae mortuas carnes a vivis ſeparavit: deinde mundato ita ulcere plaga novis carnibus veluti ex recenti vulnere impleta, poſt cicatrice clauſa eſt.

AEGROTUS CII. Anno 1762 die 24 Auguſti mulier annos 36 nata ex longa febre intermittente a capite ad pedum plantas uſque hydropica evenit, quo tempore gravida ultra octavum menſem erat. Multa univerſam corporis cutim inter aqua, plurimaque in ipſo ventre confluxerat: febris facta continua eſt, tuſſis preſſit, quae multum foetidi puris emolita eſt: reſpiratio difficilis evenit, neque potuit aegra, niſi cum quievit ſedens, ſpiritum ducere, ob id, quod aqua intra thoracem contracta erat. Nauſea, ſudores nocturni atque alvi profluvium, quod ſupervenit, aegrae vires vehementer contriverunt.

Huic dimidiam corticis peruviani unciam quotidie praeſtiti; verum nunc iſtud auxilium, etiam, poſteaquam ſex eius unciae aſſumtae erant, necquicquam profecit. Contra vero aegra magis atque magis intumuit, ſic, ut ni ſuffocari voluerit, ſtare debuit, quo liberalius ſpiritum trahere poſſit.

Ob

Ob quam cauſam aegrae alvum aliquibus continuo diebus rhabarbaro ſubmovi, quod multa putrida ducendo mulierem curationi opportuniorem reddidit: deindeque corticem peruvianum iterum obtuli.

Interea autem crevit hydrops, ipſi pedes vehementer intumuere, in iiſdemque ortus dolor, deinde inflammatio eſt, ob quam metuenda gangraena erat.

Igitur cutim ſupra tarſum profundis plagis incidi iuſſi, ex quibus protinus plus quam 30 aquae librae continuo fere rivo effluxere, et ſupernum corpus ſubtracta aqua inane reliquerunt.

Expleto ad id temporis nono graviditatis menſe aegra prolem emiſit; ipſa vero proxime a partu gangraena affecta eſt, quae in dextro pede eas plagas, quas ante infliximus, occupavit; in ſiniſtro autem omnia a malleolis ad talum extremoſque digitos excepta planta comprehendit, profundiuſque inſedit. Cum his febris magis preſſit, incepit affici ſtomachus, factus foedi ſpiritus ipſe odoris eſt; arteriarum pulſus exilis evenit, et plurimus ſudor frigidus ex univerſo corpore erupit.

Corticem peruvianum, ut coepi, dare continuavi, & corruptas pedum partes decocto cortice continenter foveri iuſſi; quae curatio ſucceſſit. Factum enim in uberibus lac eſt, nutriendae proli aptum; ipſa lochia liberaliter eruperunt, ſpiritus facilis evenit, et elevatus arteriarum pulſus eſt: ſecutum largum urinae profluvium eſt, omnem hydropem extus trahens.

Deinde infectae carnes a ſanis ſeceſſerunt, depurata ulcera ſunt, novaeque carnes, veluti ex recenti vulnere provenerunt: ipſum etiam pulmonum ulcus ſanatum eſt; iſtaque aegra poſt menſem Novembrim, ubi corticis ſeſquilibram aſſumſit, ex toto convaluit.

AEGROTUS CIII. Iuvenis 18 annos natus febrim quartanam annum integrum ſuſtinuit, contra quam diverſa remedia, quae a diverſis hominibus acceperat, aſſumſit; etiam arſenici tincturam. His, et quoniam a cibis continere ſe non potuit, in peius ruit, et hydropicus evenit.

Anno 1765 menſe Martio cum talem aegrum accepiſſem, ei diaetam imperavi, deinde mediis inter acceſſiones diebus praeſtito aliquoties pharmaco alvum purgavi, poſt corticem exhibui. Qua curandi via in melius quidem ire et febre liberari coepit, at hydrops, qualis ante fuerat, continuavit.

Quare rurſum purgantia adhibita ſunt; quae quidquid impuri intus ſupereſſet, idem ſubtraherent. His excuſſa multa item putrida ſunt, plurimuſque ſimul mucus deſcendit.

Purgata alvo febris increvit, ex eademque auctus hydrops eſt; confluxit plurima inter pedum cutim aqua; etſi enim datus impoſterum cortex peruvianus ſit, nihilominus hydrops univerſum corpus vehementer occupavit.

Poſt, excitatus acutus in pedibus dolor cum inflammatione eſt, novaque febris. Inflammationem ſecuta gangraena, gangraenam ſphacelus eſt, qui utriuſque pedis cutim atque pinguedinem a mediis ſuris ad extremos uſque digitos corrupit, et profundius ipſas carnes infecit. Cutis plumbei nigrique coloris dura ut corium facta et intus retracta eſt; frigida et ſine ſenſu. Aegri facies lurida ut morientis hominis evenit, arteriarum pulſus exilis et perinfirmum corpus.

Quare quidquid corruptum erat, exſcindi, ipſaſque plagas cortice peruviano aquae incocto foveri iuſſi; diaetam item imperavi; et unaquaque hora corticis portionem medicinae dedi.

His ex apertis locis aqua undique effluxit, orta ſup-

ſuppuratio, factumque bonum pus eſt; provenerunt novae carnes, quae undique accedentes vulnera cicatrice clauſerunt, & ſub finem anni iuvenem ad ſanitatem perduxerunt.

Poteſt quoque cortex peruvianus alia quaedam interni corporis vitia etiam quae longum ante febrim tempus occuparunt, excutere. Veluti WERLHOF et antiquos artuum dolores et Rheumatiſmum et Iſchiadichum tormentum et flatulentiam et cordis palpitationes et inteſtinorum laevitatem, quae inveteraverant, ſubmovit; ipſamque fiſtulam lacrymalem fere exſiccavit, cum febrim intermittentem, quae incidit, cortice peruviano curaſſet *r*), multaque alia talium curationum exempla affert *s*).

Haec ſufficiant. Plura taceo. Debet profecto cortex peruvianus inter praeſtantiſſima artis adminicula numerari, quo quoniam veteres caruerunt, eorum medicina utique manca et imperfecta fuit.

CAPUT VIII.

Quonam tempore febrim excutere praeſtet.

Poſtremo etiam de tempore diſputatur, intra quod febris moveri debeat; alii enim febrim protinus expellere volunt; alii aliquot eius acceſſiones ante expectare malunt, quam remedium adhibeant. Utramque ſententiam examinabimus.

Qui initio nihil movent, febrim non metuunt, ſed exiſtimant, ita eam curationi magis opportunam fieri, et ipſam nonnunquam medicinae eſſe, ſi in longum morbum, qui ante occupavit, ea incidat. Siquidem ſecundum Auctorem HIPPOCRATEM *ſecuriſſima vero omnium et facillima ac longiſſima eſt quar-*

 ta-

r) *Obſerv. de febr. Sect.* 3. §. 7. *Obſerv.* 20-23.
s) *De febr. Sect. V.* §. 9.

tana. Non enim ſolum ipſa a ſe ipſa talis eſt, ſed etiam ab aliis magnis morbis liberat t). Et paulo magis infra: *a quartana correpti a magno morbo non corripiuntur; ſi vero corripiantur prius, et ſuccedat quartana, liberantur* u.) deinde: *quibuſcunque ſanis derepente dolores oboriuntur, in capitibus et ſtatim voce privantur, ac ſtertunt hi in ſeptem diebus pereunt, ſi non febris corripuerit* x). Item: *a convulſione aut diſtenſione nervorum vexato febris accedens morbum ſolvit* y) et inferius: *ſiquis ebrius derepente voce privetur, convulſus moritur, ſi non febris corripuerit, aut ubi ad horam, qua crapulae ſolvuntur, pervenit, loquatur* z), rurſum: *quibuſcunque citra praecordium dolores fiunt, abſque inflammatione, his febris accedens dolorem ſolvit* a), porro: *quibuſcunque ex urinae ſtillicidio volvulus accedit, hi in ſeptem diebus pereunt, ſi non febre accedente urina ſatis fluxerit* b). Deinde: *quibuſcunque hepar circum circa dolet, his febris accedens ſolvit dolorem* c), *mulieri ex partu convulſione infeſtatae febrim ſupervenire bonum. Tetano et convulſioni febrim ſupervenire bonum* d). *Convulſionem ſolvit febris acuta ſuperveniens, quae prius non fuit, ſi vero prius fuit, iam exacerbata* e). Eadem ornato ſermone complexus eſt A. C. CELSUS f. *Denique ipſa febris, quod maxime mirum videri poteſt, ſaepe praeſidio eſt. Nam et praecordiorum dolores, ſi ſine inflammatione ſunt, finit, et in iecinoris dolore ſuccurrit, et nervorum diſtenſionem rigoremque, ſi poſtea coepit, ex toto tollit; et ex difficultate*

t) *De morb. popul. Lib. I. Sect.* 3.
u) *Ibidem Lib. VI. Sect. 6. et Libr. aphor. Sectione V. aphor.* 70.
x) *Lib. de iudic. Item Lib. aph. Sect. 6. aphor.* 51.
y) *Lib. aphor. Sect. IV. aph.* 57.
z) *Lib. aphor. Sect. V. aph.* 5.
a) *Lib. aphor. Sect. VI. aph.* 40.
b) *Sect. VI. aph.* 44.
c) *Sect. VII. aph.* 52.
d) *De morbis Lib. I. Cap. IV.*
e) *Coac. praenot.*
f) *Lib. II. Cap.* 8.

tate urinae morbum tenuioris inteſtini ortum, ſi urinam per calorem movet, levat.

Febrim intermittentem ad longaevitatem diſponere, BOERHAAVIUS promittit *g*), vidit VAN SWITEN vetuſtam cephaleam et inveteratum humeri dolorem evanuiſſe, dum febris quartana ſupervenerat *h*). Maximas cordis palpitationes, quas medicina ſubmovere non poterat, febris quartana superveniens ſuſtulit *i*). Vidi iuvenes puerosque magnum poſt febrim quartanam corporis incrementum accepiſſe.

AEGROTUS CIV. Vir 50 annorum, ſpongioſi corporis habitus diu ex hypochondriis male habuit, ideoque multa atque diverſa remedia adhibuit, fruſtra quidem.

Is cum forte in febrim tertianam incidet, eam, tanquam a qua auxilium exſpectabat, necquidquam movit. Imo, ubi aliquando diſceſſit, eandem arrepto purgante pharmaco revocavit: donec ipſa, poſt plures circuitus, per ſe deſiiſſet.

Finita febre multum ex hypochondriorum morbo minutum erat.

Poſt aliquot deinde menſes quartana acceſſit, quae item aliquamdiu cum profectu inſedit. Poſtremo, ubi ipſa defecit, hominem vetuſti hypochondriorum vitii expertem reliquit. *Sed eſt circumſpecti quoque hominis et novare interdum et augere morbum, et febres accendere, quia curationem, ubi id, quod eſt, non recipit, poteſt recipere id, quod futurum eſt k*).

AEGROTUS CV. Vir 50 annos natus e dorſo gibbus, octo annos continenter aſthmaticus erat: intereaque diu noctuque peioribus acceſſionibus, quae perſaepe inciderunt, vehementer excruciatus eſt. La-

 bo-

g) *De curandis morb. aph.* 754.
h) *Coment. in Boerhaavii aph.* 754.
i) *Memoires de l' acad. des sciences de Paris l' an* 1718. *hiſt. page* 110.

borioſe enim ſpiravit, animam multa inter ſuſpiria cum ſibilo et anhelatione traxit, circum praecordia angebatur; cumque aut corpus movere, aut pedem elevare tentabat, ſtrangulatus eſt: ad haec tuſſicula acceſſit, neque potuit unquam aeger cubare, ſed debuit in ſedili erecta cum cervice ſedere, ſuis ſuffultus brachiis: neque etiam per nares aërem ducere, et in his quoque olfaciendi facultatem amiſit.

Quotiescunque vero febris intermittens incidit (incidit autem ter) protinus aeger et libere ſpirare et progredi facile potuit, et in lecto rurſus cubare, et odores acute percipere, non in ipſa tantum febre ſed et mediis inter acceſſiones diebus. Ut vero febris ipſa finem accepit, reverſum protinus antiquum tormentum eſt. Neque in his medicamenta aperientia multuſque ſapo, neque gummata ſaliave neutra (quae ideo intra ipſam febrim praeſtiti, ut excitato per acceſſiones vehementiore ſanguinis motu opportuniora auxilia evenirent) quidquam profecerunt. Hic enim exſpectatio fefellit, ubi curationem A. C. CELSUS promiſit. *Intenditur enim ſaepe ex eo febris, et maior ortus calor ſimul et priora mala tollit, et ſpem remiſſionis inque ea curationis oſtendit l*).

Ob quam cauſam alii febrim (quae ideo a februando ſive a purificando nomen accepit) utique tanquam *Naturae machinam ad diſſlanda ea, quae ſanguinem male habent, intuentur; atque naturae inſtrumentum, quo partes impuras a puris ſecernat m*): a qua, ſi promptius adhibito auxilio excutiatur, noxam metuunt, *ideoque curandam eſſe, ante omnia* (aſſerunt) *ne praemature nimis hic cortex ingeratur, ante ſcilicet, quam morbus ſuo ſe marte aliquantiſper protriverit: niſi collabentes et iam fractae aegri vires eundem temporius ſumen-*

l) *A. C. CELSUS Lib. III. Cap. 9.*
m) *SYDENHAM Sect. I. Cap. 4.*

mendum eſſe dictaverint n), quam ſententiam BOERHAAVIUS *o*) multique alii medici receperunt.

Contra alii nihil horum eſſe ſtatuunt; ſed febri protinus medendum eſſe poſtulant. Ipſum enim HIPPOCRATEM ſibi ſaepe repugnaſſe: cum modo ex febre *longa tumores aut dolores in articulis oboriri p*) dixerit; modo *a quartanis hydropem eſſe q*), modo iterum quartanam tanquam *ſecuriſſimam omnium et facillimam* laudaverit *r*).

Neque ſemper febrim magno morbo ſi incidat, mederi: veluti experientia docuit.

AEGROTUS CVI. Iuvenem annos 24 natum a longo iam tempore morbus caducus male habebat, qui quovis menſe tanquam per certum circuitum prehendere conſueverat.

In hunc cum forte febris quartana incidiſſet, eam, ob id, quod praeſidio eſſe poſſet, duos menſes reliquimus. Intraque id temporis his, quae epilepticos iuvare dicuntur, occurrimus. Nihilominus morbus caducus nunc cum ſebre quam olim abſque febre aegrum ſaepius excruciavit.

AEGROTUS CVII. Iuvenem annos 28 natum febris quartana menſe Martio anno 1755 prehendit, quae non multum quidem urſit, ſed ſex tantum horas acceſſione implevit, et leve frigus exiguumque calorem habuit, ipſum edendi deſiderium integrum relinquens.

Iſta febris, propterea quod et quartana et facilis et vernalis et ſatis commoda erat, potuit utique ſecundum multorum medicorum ſententiam pro tuta haberi, ſimul et ſanguinem, de quo quod muco abundet, ante ſciebam, bonum efficere.

n) *SYDENHAM de morbis acutis Sect. I. cap.* 5.
o) *De cognoscendis et curandis morbis aphor.* 767.
p) *Libr. Aphor. Sect IV. aphor.* 44.
q) *Libr. de aere et locis Sect. I.* §. 26.
r) *De morb. pop. Lib. I. Sect.* 3.

Poſt quartum circuitum ortus in dextro inguine acutus dolor eſt; unaque ex glandulis, quae ibi poſitae ſunt, intumuit. Iſti tumori, ut vitioſam materiam, quam recepit, facta ſuppuratione exſpuat, impoſitum cataplasma ſuppurans eſt.

At praeter ſpem expectationemque omnis proxima nocte et tumor et dolor evanuerunt; ſimul et univerſum corpus vehementer convulſum eſt.

Ob quam cauſam fomentis acribus ad locum ante affectum, emplaſtriſque veſicatoriis, acribus item enematibus et decoctis ſudoriferis occurſum eſt; ſcilicet quae poſſent repulſam materiam ſive ad priorem glandulam revocare, ſive ſubtrahere a capite, ſive extus pellere.

Nihilominus retenta intus noxa aegrum continenter convulſit. Quare a proxima acceſſione (ut quidam promittunt) ſperandum auxilium erat. Verum haec, ut incepit, aegrum vehementius agitavit, et media in febre convulſum iugulavit.

Contra a febre ipſa convulſiones eſſe, ut ſupra *) dictum eſt: imo ſaepe per alium morbum, qui ob febrim intermittentem eſt, ceu lethargum, pleuritidemve aut cuiuſpiam viſceris inflammationem aegros praecipitari aut denique per longum morbum, quem induxit, hydropem puta, aut durum alicuius viſceris tumorem extingui. Quod item ſupra **) poſitum a me eſt.

Neque perpetuum eſſe, quod olim HIPPOCRATES *s*) ſcripſit, febres intermittentes a periculo vacare, etſi continuae ubi intermiſerint, expertes periculi ſint *t*).

Ne-

*) *Lib. II. cap. XIII.*
**) *Lib. II. et III.*
s) *De morb. pop. Lib. II. Sect. 3.*
t) *Lib. aphor. Sect. IV. aph. 43. et Sect. VII. aph. 62.*

Neque verum eſſe, quod quidam volunt, ſanguinem per ipſam febrim purificari. Quod etiam ex his ſatis ſuperque colligere licet; quoniam ſaepe hydrops, ſaepe durus in infimo ventre tumor, ſaepe alius quidam malus corporis affectus a febre remanet.

Quoniam, quorum ſanguis floridus perfectuſque ante febrim fuerat, idem deinde, cum febris inſedit, tenax, mucoſus, viridis, lividus, et diverſi omnino coloris eſt, ubi e vena mittitur: quod experimentum ſaepe ſaepius coepi, etiam de his, qui piſcibus potiſſimum veſcuntur, propterea quod iiſdem de eſu carnium per religionem interdictum eſt. Quoniam, qui sanguinem ante vitiatum habebant, poſt ex febre, ſiquidem ea incidit, peiorem eundem accepêrunt. Nam qui ex malo corporis habitu eo deciderunt, citius hydropici fiunt, quam qui integra corpora ante habebant. Ob quam rationem pueri atque pauperes homines magis obnoxii hydropi ſunt.

Neque ideo iuvenem per duos poſtea menſes alternis diebus oſcitationem, pandiculationem, miros borborygmos, abdominis tumorem, aphoniam et anxietatem intolerabilem paſſum fuiſſe *u*), quoniam eius febris citius, quam conveniſſet, ſuppreſſa fuit.

Neque ob eandem rationem iuvenem et foeminam ipſo tempore, quo febris ante accedere conſueverat, atrociſſimos in articulis dolores, poſteaque ſtrangulationem et veluti apoplexiam habuiſſe *x*). Neque ob ſimilem cauſam virginem (de qua, quod febris intermittens per medicamenta calida verſa in continuam, iterumque reverſa in intermittentem fuerit, ſcriptum eſt) per annum fere integrum traxiſſe, ſimul et miris atque variis malis affectam fuiſſe *y*).

Sed

u) *VAN SWITEN Comment. in Boerhaav. aph. 767. pag. 561.*
x) *Medical. Esays Tom. IV. cap. 24.*
y) *Ibidem Tom. I. cap. 31.*

Sed ob id, quod horum febris non ex integro expuncta fuit; ſed aliquae adhuc eius reliquiae corpori adhaeſerunt. Contra vero, quoties febris ex toto excuſſa fuerit, nihil unquam adverſi accidiſſe, ſed integram valetudinem conſtitiſſe. Quod item paulo ante, prolatis in medium experimentis, manifeſtum fuit. Ita WERLHOF febrim poſt primam acceſſionem a ſe ipso ſemovit z) et aeger a) poſt ſubito ſubmotam febrim, etiam a vetuſto morbo liberatus eſt: et decem alii aegri b) quorum febris quantocius profligata eſt, optime et conſtanter valuerunt. Et RICHARDUS MORTON in curandis febribus intermittentibus exercitatiſſimus *nulli Auctor erat, ut vel ſecundus paroxysmus ultro permittatur* c).

Similiter olim febrim cortice peruviano ante iugulavi, quam potuit ea in certos circuitus diſtingui. Neque tali curatione quiſquam offenſus eſt. Obſervando item attigi, febrim, quae diu inſedit, corticis plus ad curationem requiſiviſſe, et magis obnoxiam fuiſſe recidivis, quam quae ut incepit, protinus expulſa eſt. Imo plurimi ex his, qui Pleuritide (de qua ſupra d) ſcriptum eſt) affecti erant, febre intermittente ante diu laborabant.

Inſuper rectae rationi conſentaneum eſſe putant, poſſe ipſam febris materiam, ut quoddam aliud venenum vel dyſentericum vel venereum multiplicari inveterando. Haecque ut ſanum corpus, in quod ab aegroto intravit, nonnunquam infecit: an non poterit aegrum, quod diu occupat, magis vitiare? Nam neque durus viſcerum tumor, neque hydrops, cum febre incipit, ſed longas febres ſequitur: Quod ſi porro verum eſſet, quod febris ſanguinem purificet, atque ſe-

z) *Sect. IV. §. 3. Obſervat. 23.*
a) *Ibidem Obſerv. 24.*
b) *Ibidem Sect. IV. §. 3. obſervat. 26.*
c) *Exercit. I. cap. 5.*
d) *Lib. II. cap. VI.*

ſebruet, deberent utique ii, quos ſebris totum annum tenuit, ita puri eſſe, ut nihil ab his ſebruandum purificandumque ſupereſſe videatur: cum e contra ipſi diu poſt hanc ipſam ſebrim, imo integro ſaepe vitae curriculo, vitiatae valetudinis maneant.

Neque omnino eorum ſtandum eſſe conſiliis, qui ſebrim ſubmoveri ante nolunt, quam vitiata materia, proprio ſuae ſebris impetu fracta atque contrita fuerit. Poſſe enim eandem, poſteaquam ſebris cortice ſubacta eſt, tutius, quamvis tardius moderata vaſorum agitatione confringi atque conteri, ſic ut inſenſibiliter e corpore exeat.

Contra alii cortice peruviano ſupprimi quidem ad tempus aliquod ſebrim, at non expelli. Quare tutius eſſe putant, ut olim SYDENHAM propoſuit, ſebrim ipſam aliquamdiu corpori ante relinquere, quam curatio tentetur. Sic enim morbum ubi ſe ipſum aliquantum contrivit, curationi opportuniorem fieri, qui adhibito deinde auxilio expeditius tolli queat; ſecus obnoxium eundem recidivis fore.

Cum haec per multa volumina, perque magnae contentionis diſputationes a Medicis ſaepe tractata ſint atque tractentur, ſubiiciendum eſt, quae proxima vero videri poſſint, neque addicta alterutri opinioni neque ab utraque nimium abhorrentia, ſed media quodammodo inter diverſas ſententias. Igitur in diverſis corporis vitiis cum ſebris intermittens ſaepe proſit, ſaepe etiam noceat, vix ulla in his perpetua praecepta medicinalis ars recipit: ſed modo ſebre, modo medicamentis ſanitas quaerenda eſt. Itaque, ſi vetuſtus quidam morbus occupavit, inque eo ſebris intermittens, quae intervenit, ſpem curationis oſtendat, ſebris ipſa relinqui, et ubi per ſe forte deſierit, adhibito protinus purgante pharmaco revocari debet, et attendi an curationem promittat. Quod ſi vero ex

ea

ea aut nullus ſequatur profectus, aut nova vitia ſuccreſcere incipiant, protinus febrim cortice peruviano excutere expedit. *Neque hercule ſatis eſt, ipſas tantum febres Medicum intueri, ſed etiam totius corporis habitum, et ad eum dirigere curationem, ſeu superſunt vires, ſeu deſunt, seu qui mali affectus interveniunt e)*.

At ſi in integrum corpus febris inciderit, debet ipſa per aliquod tempus relinqui, donec eius fomes, cum quo miaſma convenit, per febrim ipſam motus coctuſque ſit, et deinde adhibito cortice peruviano expungi. Sic enim ea non revertitur. Signa vero, per quae ſcire licet, quod cocta materia ſit, ſuperiore Libro primo comprehenſa ſunt,

e) *A. C. CELSUS Lib. III. cap. 3.*

FINIS.